



**Dissertatio forensis medica inauguralis de morte  
suspendorum necnon de quaestione, utrum vivus quis an  
mortuus, suspensus fuerit, novis aliquot casibus subiectis**

<https://hdl.handle.net/1874/312627>

DISSERTATIO FORENSIS MEDICA INAUGURALIS.

DE

MORTE SUSPENSORUM NECNON DE QUAESTIONE,  
UTRUM VIVUS QUIS AN MORTUUS, SUSPENSUS  
FUERIT, NOVIS ALIQUOT CASIBUS SUBIECTIS.

DISSERTATIO FORENSIS MEDICA INAUGURALIS

DE

MORTE SUSPENSORUM NEONON DE QUAE  
TIONE UTRUM VIVUS QVIS AN MORTUUS  
SUSPENSUS FUERIT NOVIS ALIQUOT CA-  
SIBUS SUBIECTIS -

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE REGTORIS MAGISTRICI

JACOBI VAN HALLI

REG. LEX. HEBEL. REGITTE. ORG. CORON. GOVERN. DEPARTMENT  
LUX. ROM. ET. HOB. - HOLL. ET. BRON. ORG.

ET

EMISSISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

HONORABILIS FACULTATIS MEDICAE SENATUS

PRO GRADU DOCTORATUS

IN

MEDICIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LITHO-TALICTIVA

INTE. ET. LEGIS. CONCORDANTIA

ERUDITIONUM. SALAMINI. ACADEMIA

HENRICUS FRANGISQUE THISSER

ALUMNUS

AN. D. M. CC. LXXIII. MDCCLXXIII. MDCCLXXIII. MDCCLXXIII.

AMSTELÆDAMI

APUD G. VAN DER POST

DISSERTATIO FORENSIS MEDICA INAUGURALIS.

DE

MORTE SUSPENSORUM NECNON DE QUÆSTIONE, UTRUM VIVUS QUIS AN MORTUUS, SUSPENSUS FUERIT, NOVIS ALIQUOT CASIBUS SUBIECTIS, —

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI VAN HALL,

ORD. LEON. NEERL. EQUITIS, ORD. CORON. QUERN. DECURIONIS

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

HENRICUS FRANCISCUS THIJSSEN,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XVIII MAII, ANNI MDCCCLV, HORA V, POM.

---

AMSTELODAMI.

APUD C. G. VAN DER POST.

MDCCCLV.



JOHANNI VAN GEUNN

PRÆCEPTORI AESTHETISSIMO AMATISSIMO

OMNIBUS

PRO GRADU DOCTORIS  
QUI GREGORIO COSSARIO

STUDIIS MEIS FAVERUNT

CHALANQUE DE BRUGNUM, PUDORUM, QUÆSCORUM RIVITIA  
ET GIB-EMOT PETARA-DICAT, DEDICAT, COSSAR HAT

1800

VIRO CLARISSIMO,  
JOANNI VAN GEUNS,

ORDIN. CORON. QUERN. DECURIONI, REGIAE ACADEMIAE SCIENT. NEÉRL. SOCIO  
PLURIBUSQUE ERUDITORUM SOCIETATIBUS ADSRIPTO, MED. DOCTORI,  
MEDICINAE FORENSIS ET PATHOLOGIAE, PROFESSORI EXTRAORD. CAET.,

PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO, AMATISSIMO,

NEC NON

OMNIBUS,

— QUI OPE ATQUE CONSILIO,

STUDIIS MEIS FAVERUNT,

HOC,

QUALECUNQUE OPUSCULUM, STUDIORUM, QUAESCUNQUE PRIMITIAS,  
EÂ, QUÂ DECET PIETATE, DICAT, DEDICAT, CONSECRAT

AUCTOR.

*It is ambition enough, to be employed as an under-labourer, in clearing the ground a little, and removing some of the rubbish, that lies in the way to knowledge.*

LOCKE, Essay on human understanding.  
Epist. to the Reader.

*Il y a des gens qui voudraient qu'un auteur ne parlât jamais des choses, dont les autres ont parlé; autrement on l'accuse, de ne rien dire de nouveau. — Mais, si les matières qu'il traite ne sont pas nouvelles, la disposition en est nouvelle.*

PASCAL, Pensées, X. 9.



---

## BENEVOLO LECTORI.

---

Vere arduum est, quod incumbit officium, cuicumque, qui in opimum mentium gregem, recipi cupiat; suam nempe, Speciminum academicorum cumulo, symbolum conferendi. Misera hacce necessitate coactus, librum istum tandem ex ingenio extorsi, mox deferendum in vicum!... Sed, — *quid nautica prosunt, Turbatae lamenta rati?* (Cl. CLAUD.)

Praetereamus, itaque obsoletas istas querelas, de dura lege, de modica argumentorum copia, quaeque plura hic adiciere vellem, si non iam, centies repetitas, in nullo fere non specimine, desiderarentur. — Certe nondum scripsissem, si scribere non debuissim; nunc vero, novus Diogenes, ex argumentorum non ita raro acervo, cum lucerna mea, eligere conatus sum, quod viribus quomodocunque, congruum visum est; in medicinam forensis aberraveram. Breve inire consilium cupiebam. Doctus VAN GEUNS, vagantem in viam rectam reduxit. Mox arma capessivi audax. At, — proh dolor! mihi contigit, quod iuveni contingere solet, qui ingenii vires metiri inexpertus, dum nimio placendi ardore pellitur, turpiter ludibrio habetur. Non prorsus sub-rustico huic Hermanno (1), cuius imaginem recte depinxit, in praeclaro, quondam, carmine, summus Germanorum poeta, me absimilem sentiebam; vel rusticulo cuidam, ad urbanum festum vocato, cui simulac in aulam circumspexerit, statim persuasum fuerit, caute esse mercandum. Attonitus quamvis, oculos verecundos quidem, in formosissimas puellulas conicere ausus sum, at sub-invidus, mihimet ipsi oneri, pudibundus, ad illarum potius me advertere malui coronam, quarum manus, non adeo ab elegantioribus urbicis, exoptatas cernebam, quaeque parietem adhuc, sua effigie ornabant; et mox, choreis indulgens pro re nata, mea gaudia carpebam. Inde sequitur, me argumentum arripuisse, grata novitate non gaudens, quod tamen elegi ut sic quodammodo, viam mihi pararem, qua in posterum, ad altiora aliquando tentanda, progredi possem. Monet HORATIUS: *«Scribendi recte sapere est et principium et fons»*; sed, *«sapere»* illud hucusque ita a me remotum prospecto, ut multi adhuc anni, mihi prospicienti, peragendi forent, antequam ad scribendum manum admove-re auderem; deleatur ergo *«recte»* istud, et Poetam falsiloquum ostendam.

Commemoranda habeo quaedam cum argumentum, tum tractandi modum, spectantia; primo de Vita et Morte, cogitationes meas litteris mandare, mihi fuit propositum; at viribus mox deficientibus, ab incepto destiti, quaeque

---

(1) Conf: GOETHE, Hermann u. Dorothea. — Terpsichre.



scripseram in medicinae forensis agros, transtuli, cum quam disciplina quadrare visa sunt; castris ibi coniectis, quaestionem cui antea respondere iam tentassem, maximi quippe, ni fallor, momenti, iterum mihi posui. Speciminis argumento hic natalis erat. Ut casus quibus uti contigit in materie elaboranda, facilius circumspecti possent, in ordinem redactos, fini subiiciendos, existimavi; ubi vero longum opus typis iam paratum habebam, amicis consiliis persuasus primam partem, delevi, ultimamque tantum, Lectori offero.

Scientia est, a qua, iure merito, aevum nostrum multum, ne dicam nimis, expetit. Hinc in opere, quantulocunque, invite illam quodammodo sepositam cernit, Statisticam specto; negligentiae vero culpam, in hocce opusculo paulisper remittendam esse, sequentia exponant. Notum est numeros cum valdopere "reali" tum "ideali" idea gaudere, si Philosophorum sermone uti, fas est (1).

Quaerisne adspectum universalem? — numeros adeas, non decipere; si vero in casu speciali, obscuro, lumen inde petere tentares, in periculo semper versares, ne omnibus tribueres, quod unius, quod singuli sit. Mihi muta haecce numerorum eloquentia, — "quum tacent clamant," — ut CICERO diceret, (Cat. I. 3.) semper Thucydideam illam facundiam, nimis olere visa est, i. e. neglecto vinculo, quod res rerum temporibus coniungat, vix percipiendam, perspiciendam. Statisticae arma prosint, ubi vir, qualis QUETELET aut HENLE, (in sanguinis vel urinae analysis,) iisdem cineti, prodeant; alius, ad haecce tela tractanda minus peritus, Statisticam tam facile in casum specialem vertit, perperamve illius armis usus, se ipsum pessum dat. Statistica v. g. docuerat, numerum tempestatum, locum quoddam, quotannis circumtonantium, rationem inversam habere, ad loci excelsitatem; at mox, loco longe excelsiori, horrendus fragor aethera complebat; (2) hinc aliena labe cautus, omnia quae Statisticam redoleant, tam parce in opere salutanda, retuli.

Quid de tractandi modo? Mihi scripsisse videor, amice Lector, non tibi; quisvis volueris, suo modo, cantus gutture fundit; amoenitates litterariae, animum semper delectabant, numquam arridebant quae hodiernus Satyricus de flosculis intersertis commemorat (3). In aridis inhospitisque, quae pera-

(1) Es ist überhaupt etwas sonderbares mit den Zahlen; sie sind gewiss sehr reell, und doch durchaus ideell. (R. VIRCHOW, Emp. u. Trans. Arch. VII, 1.)

(2) Tempestatum numerum, locum datum circumtonantium, ratione in versa constare, ad loci excelsitatem, meteorologicae observationes, docent. Statistica retulit, (Mitth. d. Nat. gesell. Zurich, B. IV, p. 551) in loco Hundwyl, 1790 metros alto, 14,7<sup>es</sup>, Thurici, (410<sup>m</sup> alti,) 19,5<sup>es</sup>; in pago Bevers (1710<sup>m</sup> alto,) 5,8<sup>es</sup>, quotannis intonnare: sic evenit, ut numquam intonnare posse existimarint, in altitudine 2000 metrorum. BUCHWALDER vero, nuper montis apicem, 2504 metros, DENZLER, 2430<sup>m</sup> altum, circumtonari observavit: quis peregrinator, immemor est substantiarum vitrearum, in multis Alparum montium apicibus, passim disiectarum, quae nisi ex fulminis ignibus, orsum deducere videantur. — Quis G. v. BOGUSLAWSKI fidem non derogaret, affirmanti. (Poggend. Ann. XC, p. 358.) phaenomenon illud meteoricum — "Sternschnappen," — germano nomine dictum, post annum 1860, numquam sese reiteraturum fore; ab anno 1848 inde, quippe quum quotannis decrescat, cum numero, tum splendore?

(3) Das Citiren alter und neuer Bücher, ist das Hauptvergnügen eines jungen Autors, und so ein paar grundgelehrte Citate, zieren den ganschen Menschen. — HEINE, Reiseb. Idceen, 15.



gravi desertis, parva «oasis» obiter iuvare videtur; et quum mihi scripserim, cibum quam siccissimum, quodammodo iucundiorum reddere, conatus sum; subiere quae HORATIUS de *utili, dulci* mixto, commemorat, quae TORQUATUS TASSO (1) de infantulo aegro illo commemorat; quaeque, caeterum, inter scribendum, ex calamo quasi effuxerant, verso stilo, delere nolui; cuius offenso Lectori, quem amoenitates huiusmodi non inuant, ipsas transillire data venia esto; quod ad me, in re huiusmodi argumenti, mellifluus M. TULLIUS, semper satius erit: «mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec illustrare possit, nec delectatione aliqua, allicere Lectorem, hominis est, intemperanter abutentis, et otio et litteris». (Tusc. Quaest. I. 3) Caeterum in culpam incidi, quam in aliis improbare, vituperare, soleo; numquam animum allexere, perpetui citatores, («Kosmopolitische Geistesbanquiers» isti, — HEINE) et tamen inscius fere, illorum consors factus sum. Iam antequam vitae limen inieram exoptatissimus Pater, medicinae quondam Professor, tunc temporibus claro nomine gaudens, a se illustrato, praematuro fato correptus, supremum iter carperat, filio in sui memoria nihil tradens, praeter nomen, satisque amplam librorum copiam. Modo hunc, modo illum Scriptorem inspicere, usque delectabat, quaeque notatu digna, argumentumve spectantia, obiter offendebantur, pedetentim collegeram. Scio quidem, multa Scriptorum membra passim disiecta, cuius argumento adaptari posse, ab auctoris idea, plane quamvis discrepanti; sed scio etiam, antiquiores Scriptores, apodictice potius et aphoristice, ut ita dicam, scripsisse et hinc facilius praecaveri posse, quam quidem in recentiorum scriptis ne in errorem illum incidamus; recentiores itaque, in libris potius versus unum finem tendentes, cautius adgrediendos et excerptendos existimavi.

Quid de adumbrationibus historicis? multos dicentes audio «non erat his locus.» Id unum me paulisper excuset, quamcunque historicam disquisitionem, semper mihi placuisse. Levi huic vitio et nunc indulgens, nimis ab argumento, passim divagatus sum; at, Lector aliquis, eadem culpa laborans, hasce, qualescunque adnotationes perlustrans, hinc et reliquum opus, adcuratius fortassis inspicere, dignabitur.

Quid de Stilo? — Omnigenus obstaculis modo hic, modo illic, a scribendo avocatus, serinia mox adii, mox per aliquot dies, iterum sola reliqui; et tamen quidvis scriptum, monente OVIDIO, «secessum scribentis et otia quaerit.» Valetudinem adde tunc temporibus satis fractam: in conditione versabar de qua iam SENECA, de se ipso quondam testabatur: «in statu ut non pessimo, ita maxime quaerulo positus sum; nec aegroto nec valeo.» — Sed sufficiat; — tunc scripsi, ut inter scribendum levamen quoddam invenirem; hinc itaque et nos cum laudato poeta ad librum: «Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum Quaerere.»

De Latinitate, Tullium nequaquam sapere visa, id unum adferendum habeo,

- (1) Così all' egro fanciul, porgiamo aspersi  
Di soave licor gli orli del vaso:  
Suchi amari ingannato intanto ei beve,  
E dall' inganno suo vita riceve.

(La Gerusalemme liber. Canto I, 3.)

Cuius Lectori et flosculi nostri, «dulcem liquorem» utinam videantur, qui, operi quae insint amara, dulcescere queant.



me latine sane non scripturum fuisse, nisi antiquorum more, coactus fuisset: quod iis dictum volo, auribus nimis classicis gaudentibus, vel potius dolentibus: quae nomina propria, antiquitus iam Graeco vel Latino sermone, immutata aut corrupta sunt, et nos servavimus: sic v. c. locuti sumus de ERASMO, de ALBINO, caet: non de GEERTSEN, de WEISS; sed nomina, numquam ante latine reddita, nunc primum invertere, non ausi sumus; quis enim nos intelligeret, de *Parvo*, de *Ludovico*, caet. sermonem serentes, et tamen nomina clara, KLEIN, PETIT, LUDWIG, LOUIS, toties occurrunt: quis denique quatuor viros laudatos, a se invicem, distinguere posset.

Alium errorem, (ARISTARCHO enim, si quis exoriat quondam, viam parare iuvat,) mihi inhaerentem cerno. Multa scripsi quae omitti potuissent, vel cum argumento non apte cohaerere videantur: sed supra iam sermo erat de iuvene, vires suas metiri insolito: boni cuiuscunque est Scriptoris, nihil tractare quod cum argumento non quadret: sed, boni Scriptoris nomen, mihi non peto, et Lector peritus, unculos cernet, quibus aedificii nostri fragmenta, sibi coniungi queant: imperitum vero, huiusmodi maculae, offendere non solent.

Arenae metam tandem tangens, quoties retrospexi, toties dolui, opus meum, — farinae ad instar, sub pistoris manu, — ultra debitos fines sese extendisse: — scriptum nimis longum visum est, — „mox brevis esse laboravi,“ — obscurus fiebam, et vice versa; — „neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens“. Passim omnino aberravi; — „nec semper feriet quodeunque minabitur arcus“, caet.

Ut operis verumtamen longitudo, Lectorem quodammodo lateret, characterem satis debilem compressamque, ex typis mihi elegi. Semel scripta, delere; raros iuvat; non ita facile animum advertimus Horatiano illi monito, „delere licebit quod non edideris.“ Expertus loquor, Lector, et tamen magnam operis partem in scriniis conditam, servabo. Ubi finem imponere vellem, ibi semper tot dicenda habui, tot addenda usque exorta sunt, tot nova mentem subiere, ut BYRON, si tunc soluto sermone scripsisset, ubi caneret,

Nothing so difficult as a beginning,  
In poetry, unless perhaps the end, (DON JUAN. Canto. IV, 1.)

certe idem effatus foret, quod ibi de poesi, affirmaret; caeterum — „operi in longo, fas est obrepere summum,“ quod et mihi dictum accipere iuvat.

Et nunc, — mi Liber, — vale, tuique auctoris de te iudicium, tolle memor: „nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum.“ (Sap. II: 4.) Non possum quin cum MARTIALI exclaimem. (Epigr. I: 17.)

. . . . . Sunt quaedam mediocria, sunt mala plura,  
Quae legis hic; aliter non fit, Avite, liber!

Candidus utinam lector aliquis, „sunt bona“ illud, operi inspecto, praeficiat!

De opusculo satis dicta sunt, argumentumque ipsum adeundum foret, nisi pium mihiq; dulcissimum, restaret officium, quo gratus animus, tam libenter fungatur. Si haecce praefatio quid prodesset, tunc certe valdopere; hac in re, foret, quod ansam mihi praeberet, tot tantisque claris viris, quibus, praeceptoribus, uti mihi contigerit, meritas gratias reddere; semper enim praeclare dictum, visum est Ciceronianum illud, (pro PLANCIO, 33). — „Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi altus et doctus sit, cum grata recordatione in mente versetur?“ —



Hinc beneficiorum cogitatio, imae medullae quasi insculpta, claros viros compellere cogit, qui, Amstelodami, invenem quondam, in doctis suis scholis excepere. Muneris memores, quo celeberrimus olim Pater, iniquissimo fato iam ante ortum mihi raptus, functus erat, largitate vestra, filium prosequi, perrexistis. — Dicendi initium facile, multo vero difficilium finis; praedicamne erga me, benignam urbanitatem, clarorum virorum P. J. VETH et M. DES AMORIE v. D. HOEVEN, quorum alter Logices principiis, alter Litterarum studio, adolescentulum allicere conati sint, an commemorem quantum viris clarissimis C. J. MATTHES, F. A. W. MIQUEL, E. H. v. BAUMHAUER debeam, qui primi, imperiti iuvenis oculos, quam suavissime dirigentes, amplum naturae theatrum, mihi expandere, amoenisque deliciis, ex naturae studio hauriendis, me pelle- xere; qui humanissimi semper et dilectissimi, docti fuere antecessores. Persequamini me vos omnes, obinexe rogo, in posterum, eodem quo ante animo.

Ne grates meas sinceras contemnas vix Clarissime P. H. SURINGAR, Tu, inclyti patris mei insignis semper cultor, illustris laudator, dignus denique successor; Tu, quem maxime laetor semperque laetabor, quod Te ad aegrotantium lectulos, sanandi artis, primum salutaverim magistrum. Quid practicae medicinae a Te desumptum teneo, docili quo potuero animo, semper a me servatum spero; sed ampliora adhuc facias quae acceperim, et per longum adhuc tempus, et consiliis et dulci consuetudine Tua, frui mihi concedas. Sed alio quoque, non minus grato officio, mihi fungendum est, erga Te, docte G. E. VOORHELM SCHNEEVOOGT, propter insignem benevolentiam, propensamque humanitatem, quibus semper me exceperis. Utinam, Te sospite, in posterum saepe mihi adhuc contingat, Nosocomium cui praesis, adire; ex ore Tuo, ex experientia ampla qualis Tua, artis salutiferae, doctissima praecepta, haurire, et utinam semper, ut antea, ditior mente et opulentior factus, a Te discedam. Tuorum erga me meritorum, grata recordatio, nullus delebit dies; Iabantem cursum, Tu semper stabilias, — tutus procedam!

Te praeterire, amice vir docte TILANE, ingrati animi foret, cum ob consuetudinem, qua huc usque frui contigerit amicissimam, iucundissimam, tum ob ea quae de operandi methodo, benigne me docueris; gratissimam tui recordationem spero fore ut semper habeam.

Quid porro? — Novus Astyanax ipse, quondam

Δεύομενος δὲ τ' ἄνεισι πάϊς ἐς πατρός ἐταίρους,

Ἄλλον μὲν χλαίνης ἐρύων, ἄλλον δὲ χιτῶνος.

Τῶν δ' ἐλεησάντων, κοτύλην τις, τυτθὸν ἐπέσχε,

(IL. XXII, v. 494.)

«Miserantes» illi patrii amici, praeclarus mihi erat W. VROLIK, mox celeberrimus TILANUS, quorum alter Anatomices et Physiologiae, satis asperam viam, cum amicis consiliis, tum benevola familiaritate, quibus me prosequi solebat, planam, — quid magis, — obiter amoenam, reddere conatus est; alter vero eodem sancto veluti, quo ille artis suae, flagrat amore, et me quodammodo imbuiere, semper studuit; utinam fundamenta a tanto viro posita, semper stimulum maneant, ad altiora quondam tentanda: ingrata oblivio numquam deleat, elementorum, cum obstetriciae artis, tum chirurgicae, recordationem, a tanto viro traditorum. — Pergatis vos, Doctissimi Viri, enixe rogo, pergatis! Vera illa humanitate gratissimaque illa benevolentia, quibus hucusque iuvenem cumulastis, virum prosequi ne recusetis, patriosque vobis amicissimos manes, in filio colentes, faciatis, ut filius ille, et vestris consiliis et



vestro auxilio ductus, Patris quam animo teneatis, amica memoria, aliquando non indignus, sese praebeat. In disciplinae quam illustratis decus, in societatis universae gloriam, in amicorum dulcissimam amicitiam, in studiosae iuventutis salutem, in familiae denique optatam consuetudinem, diu adhuc incolumes vos servet, hominum rerumque Summus Gubernator. Valeatis, nec amicitiam erga patrem, filio in posterum unquam detrectetis.

Quibus titulis te compellarem, erudite VAN GEUNS, vix scio; utrum faventem tamquam amicum, an doctum magistrum; num erat doctrinae qua gaudes copia, quae ab initio inde, quo lectionibus tuis interesse contigit, quae adolescentulum allexerit, an inculcata integritas incolumisve probitas?

Id unum persuasum habeo, Te, non minus vasta tua eruditione, quam amica tua familiaritate quotidianaque fere consuetudine, fervidos iuvenis annos, sensim temperasse, severioribusque Musis, adduxisse; Te, studii ardorem, sciendique cupidinem, mihi exarsisse: utinam flammula illa, mihi, in posterum, non frustra refulsisse videatur. Monitis tuis, ut ita dicam, paternis, studiorum cursum veluti dirigens, Patris iacturam quodammodo mihi redintegrare, tibi semper erat cordi. Taceo, quae mihi utilissima, ad aegrotantium lectulos, ex ore tuo susceperim, praetereo amoenitates, quibus toties fructus sim, quoties Tecum examini cuidam microscopico, otia impenderim, omitto quae, anno praeterlapso, in casu quodam asperrimo, hoc Specimen spectante, mihi soli feceris, negligo, — At, quid pergam? Oh haecce omnia ex intimo corde, gratias optimas ago.

« Qui adipisci veram gloriam volet, iustitiae fungatur officiis. » (de Off. II. 13.) Si unquam itaque gloriolae quidquid, ex hocce opusculo mihi superfluat, » Iustitia » sibi poscit, ut tibi, studiorum quippe Rectori, pro virili parte, laureola illa, redundet, quod palam confiteri posse, semper gaudebo. Meritas ergo grates accipe, Vir doctissime, pro egregia humanitate, qua mihi saepius tecum, labente die, de hocce Specimine agente, priusquam manum ad opus conscribendum admovere ausus sim, vacare numquam recusasti; horae illae, ut accepti muneris oblito, nequaquam sint datae, utinam semper tibi persuasum maneat. Remunerentur quodammodo ingenii primitiae, quas tibi grato animo, dedico, refero. Merita utinam praemia persolvere possent! — Agedum Vir amicissime, perge quo coepisti; divitiarum quas in animo reconditas serves, me participem reddere, ne deficias. Ampli, qualis tuus est, thesauri, ego egenus veluti socius factus, dum ditesco ipse, tu non pauperaberis, sed indignum discipulum, ad virum evehet, Te quondam magistro, dignum.

Tandem et vos adire iuvat, Facultatis cum Philosophicae tum Medicae, in inclyta Academia, Rheno-Traiectina, Professores aestumatissimi! — qui Patris in utraque disciplina bene meritorum, nec non amicitiae vinculi recordati, largitatem humanitatemque vestram, in filium transtulistis. Tibi, praepremis, aestumatissime Promotor G. J. LOXCQ, propter benevolentiam qua me recipere voluisti, quotiescunque studiorum causa, te adierim, gratissimum obtestor animum!

Vos omnes denique, vel commilitones, vel amici,

Vivite felices, memores et vivite nostri! (TIBUL, III, V, 31.)

Quid tandem ad Lectorem, si quis fuerit? Valeas:

Et veniam pro laude peto, laudatus abunde,

Non fastiditus si tibi, Lector, ero!

AMSTEL. Mense Maio A. D. 1855.

TANTUM.



## RERUM CONSPECTUS.

	Pag.
Introductio. . . . .	1.
De Morte quaedam. . . . .	2.
De Nervo Sympathico. . . . .	3.
De Morte simulata, (= Schijndood). . . . .	5.
Quomodo, laqueo suspensi, mori possunt? . . . . .	8.
De Apoplexia. . . . .	9.
Mors, pressione colli nervorum orta. . . . .	13.
Prae aliis Nervi Vagi. . . . .	—
De Pulmonibus quaedam. . . . .	16.
De Trachea oclusa et de opinione, hac in re, a DE HAEN edita. . . . .	17.
Num suspensus deprehensus, vivus an mortuus suspensus fuerit? . . . . .	18.
Quid in vivorum suspensorum cadaveribus, salutare solemus? . . . . .	19.
—————	
VIVI SUSPENSII NOTAE, QVAE VULGO HABENTUR, SPECIFICAE. . . . .	20.
DE MACULIS CADAVERICIS. . . . .	21.
DE SUSPENSORUM FACIEI COLORE ET AURIUM. . . . .	22.
DE ORIS DISTORSIONE, DE LABIIS CAERULEIS, CAET. . . . .	23.
LINGVAE CONDITIO. . . . .	24.
DE OCULIS. . . . .	26.
AURIS INTERNA, CAET. . . . .	28.
SPUMA CIRCUM OS ET NARES. . . . .	—
DIGITI LIVIDI, IN PUGNUM CONTRACTI. . . . .	29.
GENITALIA ORGANA, CUM VIRILIA, TUM MULIEBRIA. . . . .	—
DE SEMINE, FAECIBUS ET URINA EMISSIS. . . . .	35.
DE IIS, QVAE DE JUDAE MORTE, CIRCUMFERANTUR OPINIONIBUS. . . . .	—
LAQUEI IN COLLO VESTIGIUM. . . . .	36.
DE PULMONIBUS. . . . .	40.
DE ORGANIS ABDOMINALIBUS. . . . .	44.
DE TUBO INTESTINALI. . . . .	—

VASA SANGUIFERA, CUM COLLI, TUM CORPORIS TOTIUS, ET DE EARUM LIGATURA QUÆDAM. . . . .	45.
SINUS CEREBRALES ET VASA SANGUIFERA, CUM MENINGUM TUM CEREBRI.	54.
ARTERIAE CAROTIDEAE, PRO PARTE LACERATAE. . . . .	59.
DIAPHRAGMA. . . . .	60.
MUSCULORUM, LAQUEO SUBPOSIRUM, CONDITIO. . . . .	61.
DE LUXATIONE VERTEBRARUM EARUMQUE FRACTURA. . . . .	—
RELIQUAE COLLI PARTES DURAE, VEL LUXATAE, VEL FRACTAE. . . . .	70.
MUSCULI COLLI LACERI. . . . .	71.
DE COLLI NERVIS QUÆDAM. . . . .	—
DE APOPLEXIA NERVOSA. . . . .	72.
LOCUS IPSUM VESTIGII, IN COLLO. . . . .	74.
TOTUM SUSPENSUM RELIQUUM CORPUS, AD CURATE CIRCUMSPICIENDUM. . . . .	75.
HINZE, DE MORTE SUSPENSORUM. . . . .	76.
FLEISCHMANN, DE MORTE SUSPENSORUM. . . . .	77.
QUÆDAM INDE DEDUCENDA. . . . .	80.
CONCLUSIO. . . . .	81.
CASUUM, A ME OBSERVATORUM, BREVIS CONSPECTUS. CASUS I. . . . .	84.
CASUS II. (J. H. K....R). . . . .	86.
CASUS III. . . . .	90.
THESES. . . . .	93.



Res ardua, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam et naturae suae omnia. Itaque, etiam non assecutis, voluisse, abunde pulchrum atque magnificentum est.

C. PLINII SEC. — Hist. Nat. I.

Opus quod, invito scriptore, ultra debitos fines sese extenderat, iam prelo typographico paratum habebam, quum viri docti cuiusdam, amicis monitis indulgens, tandem mihimet persuasi, ut partem ultimam tantum, in dissertationis argumentum adhiberem; res ardua mihi quoque erat, laboris tam solliciti, sudoris tam pertinacis, fructum, irritum veluti, reicere; at, ubi semel firmum consilium inii, retrogredi nolui, et pars quae inter scribendum gratissima visa est, viribus utpote tunc temporibus, labore nondum fractis, nunc, "membranis intus positis," in scriniis recondita manebit, operisque mei pars altera tantum, lucem videbit, quam tibi, Lector, nunc mecum adeundam propono.

Ut tamen sequentia recte intelligantur, qui omissae partis ordo erat, breviter exponendum habeo, quippe quum fons fuisset, ex qua sequentia veluti derivata sint.

Variarum vitae definitionum, conspectu historico praeiuncto, vitam ipsam, viventemque hominem adire conatus eram, triplici veluti contemplatui adcommodum: vitam nempe 1°. Moralem viventem, 2°. Individuum quasi pro se viventem = vitam Physiologicam agentem, 3°. Convictus hominum inter se, sive societatis humanae tamquam partem aut membrum. Hinc Homo edictis utpote subiectus, et placitis et decretis et scitis caet: variis legibus succumbens, et in iuris poenalis campos transgreditur, et "actu" in medicinam forensem, ex qua iudex, delicta erga societatis leges, poenis vindicaturus, face nonnunquam eget, qua medicus forensis, obstantem nebulam, saepius scindere potest; sic ad medicinam forensem perveneram; ibi de vitae fine, de morte, dicendum haberem; hinc mortis adumbratione opus erat; ut vitam sic et mortem tripartitam circumspiciendam, exestimaveram, 1°. Mortem moralem



i. e. secundum speculationes Theologicas (quaenam tamen mors, cum argumento nequaquam quadrare visa est), 2°. Mortem Physiologicam, 3°. Mortem, Socialem, dictam. Mortem Physiologicam, adgredientem distinxeram:

a) damnis quae intrinsicis obmoveantur, (morbis acutis, senectute, veneno, caet); b) corporis natura sivi indole innata, damnosa vel vitiosa; (Tuberculosis, Glocosuria, Arachnitide, aliisque malis; spectaveram exitiabile istud fataleque patrimonium, invitis genitotibus, repugnanti genito toties traditum, quod copiose exposueram, plurimisque exemplis firmaveram.) Aut c) nocumentis quae forinsecus admota obsint, quaenam mortis species, cum 3°. cohaeret inque iudicis officium et munus cadit. Sic ad mortem perveneram, quam nunc tecum, amice Lector, quodammodo perlustrare, spero.

De Morte quaedam. Notum est cessante huiusmodi materiae aut metamorphosi aut Metathesi, harmonice quid sustentando insertiente, hunc unum finem tantum spectante, hic mortis esse initium: notum est, hancce materiae mutationem, et sanguine circumvoluto et aere inspirato, eodem modo sustineri. Notum est systema nervosum utramque functionem, regere, moderari, gubernare: notum est Labyrinthum gyrum latebrosus, cuius omnes lubricae viae, aequae ambiguae, in varias speculationes effugiant, hinc incipere: notum est nervos respirationi et sanguinis circuitui et materiae mutationi, eaque omnia, vice versa, nervis imperare. Dum alii Minotauri victoris audacis, novi imitatores, flum liberans investigare tentent, a nova ARIADNE amica sibi datum, ut incolumes e sinuosis labyrinthi huius ambagibus evadant, nobis interea venia data sit, mortem statuere et Suffocatione et Syncope et Paralyti centrali. Recte, ut mea opinio fert, LOTZE (Path. § 535) contendit et a suffocatione et a syncope id unum agi, ut paralyti centralis oriatur: die beiden ersten wirken nur daburch, dass sie die letzte hervorbringen: modo "per exclusionem" ut ita dicam, concludimus vitam, ipsi paralyti cedere. Dolendum est sensorii huius et motorii communis, sedes ipsa, fore ut fortassis nobis usque lateat: numquam forsani sciemus "quando et quare" illud, cur a functione desistat. Plane nescii sumus quanta nervorum perturbatio contingere possit, ut a materiae mutatione redintegrari nequeat, quantumque damnum vis nervea capere possit, ut materiae metamorphosis, restaurandi impotens efficiatur, nerveae affecti in statum integrum restituantur; hinc lipothymia, hinc fallax mortis imago, (schijn dood) caet: caligine densa usque forsani obtegentur, involventur. Quae resiliunt ex sanguinis circulatione = materiae mutatione, renovatione, sanguinis plasmate, recens adducto = partium sustentatione, abunde docent, cur mors ingrediatur, cessante cordis ictu = sanguinis propulsi (syncope); vera hic enim illa vox: cessante causa, cessat effectus; sic et intelligimus cur mors obrepit, licet sanguis, volubilem suum cursum perficiat, nutritioni partium vero, regenerationi non adcommodus, (suffocatio). Sed huc usque non percipimus, cur omnis nervorum actio hinc statim cesset, nisi contendere velis, tunc quoque substantiae nerveae, non amplius pabulam suppeditari posse. At iidem nervi materiae huius mutationi imperant. "Der Nerv is der eigentliche Regulator der Ernährung, jedoch nicht so, dass er die andern beiden Faktoren (die



capillar-circulation und das Chemische und Physikalische Verhältniss der Gewebe.) souverain beherrscht, sondern vielmehr so dass wenn an den beiden andern keine wesentlichen Abweichungen eingetreten sind, der ungestörte Ablauf der Ernährungs-Erscheinungen durch ihn bedingt wird (R. VIRCHOW, Arch. B. IV, Ueber Par. Entz. p. 275). Per orbem iactamur „intellecta parum confusaque verba fuentes.“ (OVID.). Catena est, hucusque nobis quamvis omnino inscita, proximas mortis causas, sibi copulans.

Clari ingenii BICHAT erat, rem, ad simpliciores formas sibi redigere; postquam singulorum organorum mortem, singillatim, seiunctim contemplatus erat, tunc demum quid horum organorum singuli, mors, in aliis vitae domicilii antiquorum, (cerebrum, cor, pulmones, puta) efficere posset, circumspect; huiusmodi, verumtamen distinctio, scientiae parum prodest: vinculum quoddam adesse, varias mortis causas coniungens, quis negaret. Haecce autem divisio, mere hypothetica, vinculum illud plane negligit; caeterum, erroris illius ne mentionem quidem facio, organa, quae singula emori queant, tumque pridem in universum microcosmum reagant, et singulari vitae apta sint, necesse esse; quod repugnat et vitae et mortis ideae. Respiratio v. c. non modo inservit ut sanguinis partes constituentes permutet; sanguinis circuitus simul, potens est iuvamen (DONDEERS). Omnis organi functio, initio ab inde, „Alterius sic Altera poscit opem res, et coniurat amice.“ (AD PIS.) Cuius verumtamen hypothese, novae difficultates adferuntur, a respirationis functione integra, laesa cerebri actione. Hinc fortasse distinctio vel divisio, clario BICHAT in mentem venit.

De Nervo Sympathico quaedam. „Sequimur probiora, ut ait CICERO, nec ultra quam id quod vero simile est progredi possumus.“ Sic, ni fallor, idea illa, ab antiquioribus toties iam agitata, accipienda, sympathicum nervum magnum, vitae esse principem moderatorem, vigilemve gubernatorem: non semper tamen antiqui illi cum Cicerone perrexerunt: „et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus.“ Quodammodo illi ideae, venia danda est: 1°. Corpori enim atria mortis non sunt, quo nervus Symp. polyposa sua brachia non extendit, sed 2°. quicumque, se puero sive adolescentulo, in acerbo pugilatu unquam ceciderit, loco, scrobiculi cordis, nomine dicti, pugno graviter ictus, aut mox vir iuvenis factus, indocili equo vehatur, satis aspero frena pati, mox, conversis studiis, mecum consentiet (Exp-cto crede Roberto,) quam vera, quam recta illa vox, a clario ROMBERG quondam edita: Die überwältigende, ohnmachtähnliche Empfindung, als würde das Leben an seiner Wurzel bedroht, wird hervorgehoben (Nevenkr. Bd. I. Ed. 2a. p. 142), huiusmodi quid tamen, observare et chirurgi militares, cordis vulnera depingentes, quae non statim lethali effectu dolerent.

Tunc vita itaque, iam pro parte minuta videtur; si ulterius procedamus, mortem ipsam adtingimus, sed qui mors illa ingrediatur, quid magis, qui subrepere possit — *that is the question* — illa difficultas a quavis vi, nervo sympathico insita, promovetur, non removetur. „Wir wissen nicht warum ein Stich ins Herz, warum selbst ein Schlag auf die Bauchgegend, auf die Hoden plötzlich tödten kann“ (LOTZE). „Wir wissen nicht,“ illud, ore tam vere critico, quale perspicacis tanti



viri est, effatum, cuiusdam, ni fallor, ponderis est. — Sequimur probiora. — Quid ad me, antiquorum sententia non plane reiicienda videtur, licet tota eorum contentio sive disputatio, ipsi rei parum lucri adtulerit, sed repeto, «refellere sine pertinacia caet. parati sumus.» Huic opinioni non faventes, quippe qui sympathicum, post mortem, illaesum invenerint, chordae resonantis exemplar, respicere iuberem. Fides enim garrula, plane differt a chorda, pollice non impulsu, et tamen ad inertiam redacta, ne minime quidem inmutata invenitur, quatenus molecularum ipsam constituentium, adpositio respiciatur. Mentem subeat cogitatio, fluenti cuiusdam Galvanici, filum metallicum decurrentis, quod, moleculis aheneis, adpositione quamvis illaesis, ad viae finem tamen, lethiferum tormentarium pulverem exardescere valet, ut nuper Hispanicus centurio quidam, nomine VERDU, et SAVARE, in «memoria» quadam, a REGNAULT, Francorum Academiae praelecta, (Séance 5 Juin 1854) ostendere, experimentisque illustrare (1). Huiusmodi quid et Nervo sympathico accidisse non negarem, quamvis occurreret, integrâ structurâ, impetu quippe noxio, qui modo vitae finem imposuerit, longe iam remoto. Talis fere inextricabilis rei, qualis vita, explicatio, saepe nos fortasse in viam rectam ulterius provehet, quam si statim de «Apoplexia nervosa» vanam agitemus sermocinationem; (de qua vide postea,) recte: verumtamen BILDERDIJK:

Gewoonlijk meent een mensch, wanneer hij woorden hoort,  
Daar schuilen vast gedachten onder.

(MEPHISTOPHELES ad FAUSTUM).

Gewöhnlich glaubt der Mensch, wenn er nur Worte hört,  
Es müsse sich dabei doch auch was denken lassen.

Huiusce Apoplexiae idea, erroneae illae vis vitalis, amicam dextram porrigit. Quo ulterius attamen procedamus, eo densiore caligine obnubimur. Vidimus supra quantum et respiratio et sanguinis circumvolutio, vitae (sive nerveae functioni,) prodessent; quid moror, sublata materiei metamorphosi, quae nervis obtemperat et vice versa, vita quoque tollatur necesse esse; at — ut fieri solet — et hic. «Opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat.» (Cic. N. D. II. 2). Vir summae probitatis et auctoritatis, fidelis naturae observator, indagator, perscrutator, stirpis a quo omnes qui Physiologiae studio inclaruerunt, originem deducant, facile princeps, aetatis suae gloria et decus, ALBERTUS ab HALLER, iam centum abhinc circiter annis, enuntiavit; «non continuo, quando cor quievit et respiratio nulla est, mortem perfectam adesse, cl. viri ostendunt, per exempla hominum, submersorum, strangulorum, ex nervorum vitio syncopiorum, in quibus neque pulsus adparuerit neque respiratio; et tamen ita non sint mortui, ut per irritationem aliquam revocari, vitaeque et nonnumquam integrae valetudini restitui potuerint. Legi exempla,» (El. Phys. Lib. XXX. Sect. II. § 23, Conf. porro WHYTT. Phys. ess. p. 176. Vit. mot. 377. PARÉ, renunc: p. 879. BRUBIER incert. de la mort. T. II. p. 87.

(1) Novae Ideae primus agitator, iam salutatur GILBERT A. D. 1805. VERDU minas (= mijnen) aqua submersas aut submarinas, metros distantes n°. 5600, apparatus Galvanici ope, a CLARKE quondam inventi, diruit, destruxit.



De Morte simulata. (Schijndood.) Mors simulata hucusque mente non percipi potuit. Auscultanti auri, accuratissime inquirenti, saepius nullius cordis ictus perceptio respondet; respiratio quamvis ad ipsam detegendam extrema sint experta, omnino latet, actionis nervorum nullum adest vestigium. „Tria domicilia vitae,” plane in otio versari videntur. Nebula aequae obscurae observantis oculos saepe praetegit, ubi, cerebro graviter laeso, „iacet sine nomine truncus,” qui nihil porro agit, praeter circumvolvere sanguinem, ducere spiritum, caet: et tamen vitae conditio est, quae nonnumquam per aliquot dierum spatium protrahi queat, variarum functionum nervearum nexus sivi nodus plane caret, plane relaxatus est, et tamen vita, quamvis suspensa, morti non cedit. Experimenta ab Ed. Fr. WEBER instituta (Ueber ein Verfahren, den Kreislauf des Blutes und die Function des Herzens willkürlich zu unterbrechen. MUELLER'S Archiv. 1851. S. 88) docent, vitam per aliquot tempus perdurare posse, sublata quamvis et respiratione et sanguinis circulatione. Aliud quid offendimus, si aegrotum inspicimus, cui colli vertebrae vel luxatae vel fractae sint, cum medullae ipsius pressione; aegrotantis memini fractura secundae vertebrae laborantis, quod post lapsum, de loco excelso, non ita rare occurrit. Intellectus non fuit turbatus, cordis ictus, arrecta aure, vix accipi potuit, respiratio quam maxime laboriosa, stasis venosa ubique, caet: et omnis perceptio plane aberat, spiritum ducendi angustiae. Miserrimi viri conditionem:

De qui la tête au ciel était voisine,  
Et dont les pieds touchaient à l'empire des morts,

(LA FONT., le Chêne et le Roseau.)

tunc temporibus Cl. v. GEUNS, sic depinxit; unicum vivum est caput. Dum os ad loquendum aperiebat, vox faucibus haesit, mors non intellecta irreperat (1). Ranas, excisso quamvis corde, saepe vidi vitam diu protrahentes, modo huc, modo illuc, circumsilientes. Non facile tamen inde concluderem, nervorum functionem non continua sanguinis redintegratione, indigere. Organa enim circulatoria, plane ab iisdem in homine caeterisque mammalibus, distant. Hinc ROMBERG, mirationem nostram sub-ancipitem facit, ut ita dicam, referens. (*Motilität-Neurosen*, Ed. 2<sup>a</sup>. p. 2) „nicht nur Frösche, bewegen sich, hüpfen springen eine halbe Stunde und länger nach Herausnahme des Herzens, auch die von der asphyktischen Cholera befallenen Menschen führen Bewegungen aus. Ich sah Kranke nach meinem Hospitale zu Fuss kommen, dort stehen, gehen, im Bette sich aufrichten, die Arme bewegen, bei vollkommener Pulslosigkeit, so dass selbst in den während des Lebens geöffneten Arterienstämme der Extremitäten, statt der Blutwelle, nur ein dünnes faseriges concrement angetroffen würde.” Observationis alia pars forsitan ingenio vere poetico, (nam „multa licent stultis, pictoribus atque poetis” ut ait HORATIUS: respicere ne negliget Lector benevolus, signum, tertium inter et quartum verbum, interpositum) paulisper tribuenda, alia vero inquisitionis obstaculis; quis enim nescit

(1) Wir begreifen nicht, wie in Krankheiten, wo der Geist noch alle Klarheit zeigt, plötzlich die Bedingungen eintreten sollen, die eine Wechselwirkung mit dem Körper unmöglich machen. (LORZE, Path. n°. 535.)



quam difficile sit, adcurata experimenta instituere, in morbo laborantibus, qualis est Chlorera Asiatica. Verum enim vero ROMBERG non solus in ordine stat. De omnibus iudicium faciat HALLERUS (l. s. l.). „Legi exempla; potius tamen crederem pulsum obscurum fuisse, humilemque, qualem certe, aliquot nonnumquam ante mortem diebus vidi, ut aegri quidem frigerent, caeterum loquerentur, artus etiam moverent”, quae verba tamen cum supra laudatis, non bene quadrare videntur.

Memorata enim experimenta, a WEBER sumta, non valdopere confirmant quae ROMBERG docuit; legimus enim (l. l.) experimenta cordis motum sistentia nimis protracta, iam inter unius scrupuli (minuit) spatium, mentem lipothymia, faciem convulsionibus afficere, adde: praeteriti recordationem plane eversam fuisse usque ad illud tempus, quo lipothymia inceperit. Fac tamen nervorum elementorum necesse non esse, continuo fiat nutritio, e plasmate recens adducto; aut pone eam integrationem paulo diutius, quam spirandi actus suspendi, interrumpi posse, tunc tamen et ab alia parte patet, centralem paralyisin, statim oriri posse, simulac materia peccans quaedam, sive damnum sive lethum parens, cum sanguine circumvolvatur. Sanguinis circumcantis defectus, plane differre videtur, quoad effectum, a sanguine circumvoluto, materiae peccantis cuiusdam vectore. Sic v. g. MORGAN (Lib. I. p. 32). „Cui ingenii vena benigna est” venenatae sagittae effectum, nobis depingit; agitur de Woorara, sive Ticunas, Americorum, a quo statim paralyisin universalis inducitur. (Conf. EMMERT, Meckel's Archiv. Bd. IV. p. 165; SCHREBER, Naturforscher. Halle. St. 19. S. 129 et scriptores ibi laudatos, v. HASSELT, Handl. der Vergiftleer, PELLETIER et CAVENTOU (Ann. de Chim. et de Phys. XXVI. p. 44). Woorarae antidotum commendant, Javanicorum illud Chetik (Upas Tienté) quod vi tetanifica, s. v. v. pollet; monet tamen MORGAN (l. l. p. 40) ne statim tetano laborantem, cum Woorara, Ticunae ope venenatum vero, cum Chetik, in statum, sive conditionem normalem redigere coneris.) Id unum modo significare volui, adesse venena, quae a sanguine suscepta, lethali exitu afficiunt; cur et quomodo cuncta haec fiant, hucusque latet: punctum vitale ipsum a FLOURENS inventum luminis nullam scintillam adferre posse, videtur.

Sic (1) mortem ab omni parte circumspectavimus, num parvula qualiscunque porta lateret, quae nos ad labyrinthi nucleum, intus situm, adduceret: sed ubique semper ancipitum viarum, eadem ambages: ulterius vero progressi, statim per orbem movebamur. — Explicatio mortis Teleologica facilius datu, „aber der Mechanismus ihres zustandekommens um so unklarer” (LOTZE, Leben, p. 66). Vidimus marasimum senilem non vitae terminum esse spontaneum, praefixum; vidimus senectutem per se, mortis causam non esse; partium solidarum praefluidis praecellentiam id unum indicare, senile corpus sensim sensimque, lentius tenaciusque reddi, non corpus magis magisque vitae terminis adduci: „die Sterblichkeit der Thiere ist noch immer ein dunkler

(1) Subeat recordatio, primam operis partem, esse sepositam: de argumentis, in sequentibus, memoratis, fusius ibi iam fuerat sermo.



Punkt der Physiologie (l.l.) Vidimus trium vitae functionum cardinalium, duas per aliquod temporis spatium, desiderari posse, (respirationem puta et sanguinis circuitum, cum elementorum nerveorum nutritione, quae, materiae mutationis ope, ex utraque functione exoritur:) vidimus sub morte et sub vita latere vinculum quoddam, potentias sive vires coniungens, unde utraque originem deducit: nos tamen nescire quid vita sit, quid mors, (cur, quando et quomodo inrepat necesse sit?) Vidimus porro antiquiores semper quaesivisse, nunquam vero invenisse, gavisos fuisse; novum aevum adhuc quaerere, sed nusquam nihil invenisse. — Si itaque apud HALLERUM legimus, quam humile, magnus ille vir confiteatur, neque mortem neque certum ipsius signum, dari posse, tunc effatum illud Lotzianum, postquam oculo lynceo acutoque, novi saeculi ab HALLERO inde praeterlapse, aspera studia perlustrarat — parca sed mellifua illa verba, mortem pulcherrime adumbrantia effundens, — nescio quid solennis habet: und so ist uns denn Anfang und Ende des wunderbaren Lebens verborgen (Path. n.º 535). Quam bellum est Confiteri potius nescire quod nescires, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum tibi desplicere. (Natura Deor. L. I. 30). Il y a un beau mot, créé tout exprès pour les savants — „Je ne sais pas” — (Biogr. de RIBES).

Hominem, vitam socialem viventem, omnium veluti partem, eiusdem veluti corporis membrum, omnes adtingere vidimus. Hinc societas recte statuta, oculos intendat oportet, ne partes constituentes danmum capiant: hinc illi cordi sint decet, sedula cura membrorum qualiumcunque; valetudinis secundae. Comici amicis verbis usa, THEMIS, APOLLINEAM artem affari visa est. — (TER.-And. 2. l. 18).

Ad te advenio spem salutem consilium auxilium expetens.

Neque, pol, consili locum habeo, neque ad auxilium copiam.

Quantum fieri possit, mitis illa, iustitiae opem ferat necesse est; docilis, curam gerit ut vitae limites extendantur, et indole quamvis nativa, perversa, extrema tentare conatur ut quodammodo promoveantur, propellantur. Si vita tamen, tertia mortis causarum classe ad terminum adducta sit, tunc Hygeia lumen petit a parte sui; nempe a medicina forensi — quo fit ut vita socialis sicuti et mors, „actu et potentia” in medicinam transit (conf. supra exposita p. 1).

Iam indicatum est, quod caeterum notum accipio, mortem, noxiis forinsecus obmotis (veneno, vulneribus, suffocatione, submersione, strangulatione, suspensione, caet.) induci posse: notum est nocivas hasce vires aut ab aliis admoveri, aut spontaneas oriri posse; quod ut distingueretur, gens humana, legum vindices iurisque semel constituti, subtilis arbitros sibi creavit, ut universa hominum societas, meritis poenis a sontibus datis, in posterum, si fieri posset, ab eadem labe, in eandem iteratam culpam, securam foret. Quisvis iudex aequus cui in iure criminali poenae expetendae sint, in salutem societatis inscius ne sit, qui haecce mortis causae, allatae sint. Plurimis exitialibus vulneribus (quamvis quaestioni quae de „absolute lethali” agit, hucusque non ita facile, certum responsum dari posse, videatur) via iam monstrata est.



Experimento atque experientia solerti duce, instillatum venenum, naturae studii flammifera face prae lucente, non ita facile variarum viarum ambage in errorem abducit; via recta saltem, iam pro virili parte indicata est. Ubi suffocationis oritur suspicio, aut ubi ad mortem suffocationem secutam, concludendum esse existimamus, ubi ut in morte ex veneno hausto, rerum tempora accedentia (circonstances accessoires) modo discernere, diiudicare queunt, utrum mors, sponte sua irreperit, an ut vi aliena forinsecus inlata fuerit. Tenebris vero paulisper densioribus distinctio illa obtegatur, si diiudicandum habemus num individuum quoddam, sive in aquis, sive in laqueo deprehensum, vel vivum, vel cassum lumine, aut submersum aut suspensum fuerit? Suspensi homines huiusce scripti faciant argumentum. Quod si utraque mortis generis distinctio (submersione et suspensione puta,) opusculi fines, nimis extenderet, postea depingere spero, quid vivum in aquis demersum, a mortuo submerso, distinguat. Hinc afferre iuvat excusantia verba, a RABELAIS quondam usurpata.

Vous suppliant au nom de révérence, qu'ajez le présent en gré, attendant mieulx à la prochaine venue des arundelles.  
Lieure V. Prol.

In procinctu veluti, huicce argumento tractando, relata retrospicere, sequentia, breviter adumbrare iuvat. Quae de vita et morte in medium protuli, nihil erant praeter viam quam mihi parare volui, ut in ipsum argumentum incurrere possem; ubi de morte agendum habebam, ibi et de vita, vitaeque fine, sermunculus seratur, necesse putavi. Indicandi, quomodo aevum nostrum caducum, vitam sibi explicare conatum sit, quomodo recentiora tempora, antiquiorum ratiocinia antiquissimasve ideas, sibi adcommodaverint, nam:

Cuncta trahit secum vertitque volubile tempus,  
Nec patitur certa, currere quemque, via.

hancce arripui occasionem. Unus ecce quem spectavi finis. Lucrum (hoc enim mihi soli desideravi) quod inde carpere possem hoc erat quod speculationes mysticae, nimis fortasse adhaerentes, scribentem magis magisque fugerunt, sequentia peritiori validiorique manu tractata, singulis quippe utilia, universis commoda, societati magis prodesse possent, quam quod, amice Lector, fructum illum a me expectare posses. „Was mein Künster Traum sich nicht gedacht,“ ut Zriny apud Th. KÖRNER.

Quomodo Laqueo suspensi, mori possunt. Questionem verumtamen adgredi, mox arripere ausus sum, qualem ipse, ipsam mihi proiectam inveni, hinc primo loco mihimet respondendum habeo, quomodo suspensi, retinaculo quodam, collo circumiecto, mori possint (1). Tunc sequatur quaestio illa magis practica quid, vita

(1) Antiquissimis iam temporibus, strangulatio et suspensio in sordibus puniendis, adhibitae fuere, sic Hebraici, sic Graeci, indigna morte damnatos, strangulabant, (στραγγαλέω) raro suspendebant, plerumque in antrum debiciebant. (καιάδας.) Inter Romanorum poenas capitales primum locum tenet. „Infelici arbori suspendi,“ quod servorum solitum erat supplicium: Hinc illa solennia.



durante, suspensum, a mortuo suspenso, distinguat. Primam quaestionem fuscè tractant, REMER (HENKE, Zeitschr. Bd. II, Hft. I.) FLEISCHMANN (Ibid. ueber d. versch. Todes-Arten d. strang 1822 J. 2 Hft. 3) HINZE (Ibid. Frag: über. d. Tod. d. Erh. Jahrg. IV.) Dr. EGGERT (Ibid. J. IV.) CASPAR (Wochens. 1837 n°. 1, 2, 3.) alique: quum de hominibus tantum sermo agitur, ad reliqua animalia, plane diversa quippe colli forma, parum attendendum est, quod postea obiter indicabitur. Perturbationem conturbationemve illam, FLEISCHMANN quondam, se ipsum obiectum et subiectum ponens, resolvere conatus est, vinculoque collo suo circumiecto, experimenta instituere ausus est, quae in disciplina medico-forensi, praeclarum nomen sibi, aequalium laudem posteritatisque gratam recondationem peperere; quae a priori antea statuta erant, experimentis suis confirmavit. Postea ubi de hisce experimentis fusius sermo erit, videbimus mortem oriri posse ex Apoplexia, ex Asphyxia, et ex utraque commixta. Quod de plurimis naturae phaenomenis et hic valet. Quorundam definiti limites dari possunt, quorundam fines adeo extenti sunt, ut omnino desiderari videantur. Alia vero phaenomena, sola relictà, cum superioribus nequaquam quadrantia, ordinem constituere videntur, — de hisce postea. Non est hic locus causas proximas apoplexiae, prolixè tractandi. Varias quibus fieri possit Apoplexia, causae, ubertim docent, quam parum hucusque de Apoplexia natura innotuerit, sic v. g. HIPPOCRATES, FORT. FIDELIS, ZACHIAS, BONETUS, ALBERTI, FRANK a FRANKENAU, plurimique alii, Alapam, Apoplexiae frequentem naturam accusarunt. BONETUS (Sepulchr. L. II, Sect. 2. Obs. 7, 8.) capitis laesionem et concussionem accusat. MORGAGNUS (Ep. 3 Art. 30) observavit apoplexiam, in puero quem iratus ludimagister, vertice prehensum, ad se rapuerat et succuserat. Multi coitum, colli contorsionem, constrictionem, (Abh. d. Swed. Acad. d. W. Bd. 19. p. 136 et FOTHERGILL in med. obs. VII, n°. 9.) MORGAGNUS, decubitus maturum pleno ventriculo (Ep. 3 Art. 28.) BIERLING (Med. p. 16.) Ebrietatem et abusus spirituosorum. — frigus et statum in aqua frigida (Act. med. berol. Tol 9, 58 et WALTHER, Theses, obs. 64.) BONETUS et MACELLUS DONATUS, fulmen, BARTHOLINUS (Act. Hafn. II, obs. 116) fungos commestos, plurimi, iram (Act. N. C. Vol. 5 obs. 20. Ds. Prof. LONCA quondam Roterodami.) HEISTER (Wahr. I, p. 792.) odorem liliorum alborum, nisum in partu, STEIN, Lehrb. d. Geb. § 657—661. praesertim in mulieribus, pelvi aequabiliter, seu simpliciter iusto minori, laborantibus, observasse

« I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito!» Servus enim per circum, cum virgis cederetur, furcam ferens ducebatur (hinc « furcifer » commune servorum opprobrium: ut DONATUS ad TERENT. Andr. III, v. 12) nolam de collo pendulam gestans. (PLAUTUS—Pseud. I, III, 98) ne obvii forte, infausto ocurso, polluerentur: erant crux, patibulum et arbori infelici suspensio, fere idem. Isidorus (L. V.) scribit. Patibulum vulgo furca appellatur, sed patibuli minor poena quam crucis: nam patibulum appensos statim exanimat, crux autem affixos, diu exeruciat; hinc vox: « sub furcam mittere » aut, ut PLINIUS (Hist. Nat. 29—4.) « in furca suffigi. » Et Tacitus et Greg: Turonensis L. II, C. 16 de Mirac: affirmant, apud Germanos morem vigere, proditorum ex arboribus suspendii. In Const. Crim. Carol. legitur: « an den Galgen mit dem Strang oder Ketten vom Leben zum Todt gericht werden. » — Decretum anni 1813. Art. 5. De straf met den strop wordt voor de schandelijkste gehouden.



testatur, in deponendo alvo (Hist. d. l. Soc. de Med. p. 268. et MORG. de Sed. Ep. 3. Act. 12.) Risum, sternutationem, Tabaci abusum, terrorem (V. Sw. Comment, T. III, p. 270. FABR. HILD. Cent. II, Obs. 12, mors. HELWIG, Obs. 45. — Eph. N. C. dec. 2, ann. IV, Obs. 29.) Ventriculi nimiam repletionem (FOTHERGILL, Med. Obs, Vol. II.) MORIER multos perlarum piscatores. apoplexia correptos videbat (Revue Britt. Juill. 1854.) LITZMANN (D. Klin. 1852, n°. 19 u. 31) multos neonatos, quorum matres eclampsiae succubuerant, apoplexia tactos observavit. MORGAGNUS denique de Æthiopo loquitur, apoplexia affectum, dum tuba caneret (De Sed. Ep. V, Art. 17.) Taceo genus istud Apoplexiae, in Francia, "apoplexie des cochons, des gourmands," dictum, nimis avide pransos, nonnumquam concutiens. Sed quid moror Indicasse sufficiat Apoplexiam omnia haecce subsequi posse, verumtamen usque subsequatur, non necesse esse; tunc enim mox de gente humana actum foret. Apoplexiae, princeps advehiculum, causae praedisponentes videntur. Canthari aquarii more, supra marginem usque liquore pleni, cui singula guttula instillata, magnam contenti liquoris copiam, superfundit, sic, ut nuper ostendere, apoplexiae tunc modo ansa praebetur, ubi vasa sanguifera, prae sanguine nimis adducto, distenta, tandem, utpote non integra vel haud sine minoris resistentiae locis, vi succumbant, i. e. vasis integris apoplexia non oritur. Observationes accuratiores docuere quoque apoplexiam, laesiones externas non ita facile, reactionis ad instar, subsequi, quam antea saepe cogitarint. Ubi vero vasa sana ad sanguinis nimium impetum tandem "non plus ultra." clamant, ibi, vasis morbois, apoplexia oriatur necesse est, et quae tunc suscitantur perceptiones tales sunt quales, significare tentaverit FLEISCHMANN et iure ni fallor. Sicuti enim in memoratis sympathici nervi affectionibus (ictus in cordis scrobiculo, testibus, caet.) minantem destructionem vel "adnihilationem" (s. v. v.) e longinquo veluti percipimus, sic et vasa cerebri, praeter modum extenta, Apoplexiae verae, sanguineae sensum, quodammodo praesagire, praesentisce-re, simulare, possunt: quid sit Apoplexia praeterire possumus (1). Dis-

(1) Si quis lector nonnullas definitiones scire cuperet, inspiciant v. c. ARRTAEUM (Diatur. affect. L. I, C. 7). Apopl. totius quidem corporis et sensus et mentis et motionis, resolutio est; vel CELSUM (de Med. L. III, 26.) Apoplexiam paralytin universalem vocantem; apud AETIUM (L. VI, C. 27.) ARCHIGENEM dicentem audimus: utque absolute dixerim qui in hanc incidunt aegritudinem, sensu omni carentes, mortui vivunt; PAULUS AEGINETA addit (L. III, C. 18) respirationem superesse debere (NICOLAÏ e contra Path. IV, p. 160 in apoplecticis, respirationem quandoque cessare affirmat. GALENUS describit Apoplexiam L. II, Ap. 24. FR. HOFFMANN Med. Prat. T. IV, C. I. BOERHAVE Aph. 1008 Inst. med. 860. HEISTER, Diss. de Apopl. Helmstad 1752. KANNENGIESSER, Diss. 1756 § 18—21.) ELLER, obs. de cur. et cogn. morb. p. 279. prae omnibus vero, CULLEN, First lines T. III, p. 1032. SAUVAGES, Nosol. Meth. Cl. VI, ord. 4 et 5. SIGARIUS, syst. morb. p. 540—552. C. G. T. KORTUM, (de Ap. nerv.) appellat apoplexiam § 1. Sensuum tum internorum tum externorum, motuumque voluntariorum, subitanam abolitionem vel saltem magnam immutationem, actionibus vitalibus saepe superstitibus, quin auctis: varios scriptores sibi consonos ibi memorat. Conf. porro auctores laudati apud NOLTHENIUM De Poenis, p. 62. CANSTATT, WUNDERLICH caet. in voce APOPLEXIA; prae caeteris vero. MOULIN, Traité des Apoplexies, Paris 1819. Veterum definitiones de re ipsa nihil significare et symptomata quodammodo tantum, illustrare patet Recentiores rem magis ontologicae contemplati sunt, vel anatomice: docuerunt



tinctio inter Apoplexiam sanguineam, serosam, nervosam, parum prodest: donec morbi cuiusvis ortus obscurus erit, omnis divisio cuius basis est, morbi effectus, parum prodesse videtur: quod forsitan de omni hodiernae disciplinae Anatomico-Pathologicae divisione, quodammodo valet. L'étude des Catégories ne peut être que dangereuse en ce qu'elle accoutume les hommes, à payer de mots et à croire qu'ils savent toutes choses, lorsqu'ils ne connaissent que des noms arbitraires — (Logique de Port-Royal.)

(1) Quid sit Asphyxia, exponendum non habeo: Miserrima illa Etymologia fortassis nos in errorem duceret: sed Apoplexiae idea, feliciori titulo nequaquam gaudet: — Verba valent usu. Postea erit sermo de Apoplexia, Asphyxiae coniuncta.

Ubi post submersionem vel suspensionem nullum symptoma palpabile offerebatur — quinam casus non adeo rari (solum KLEIN, Hufel: Journ. 1816. p. 28 iam duodecim huiusmodi commemorat, quos innumeris alijs augere possem, (2) ) ibi verbo docto opus esse existimabant, propriae ignorantiae celandae. Doch ein Begriff musz bei dem Worte seyn — commode et ad rem ut dicit „Schuler“ ille apud GOETHE quodnam „Begriff“ hac in re quam maxime vagum est. Ubi KORTUM magnum opus suum, laude valde dignum, Apoplexiae nervosae impendebat, polita dictionis forma, stilique suavitas, delectatione nos allicit: sed simul dolemus se ingenii acumen, huius modi argumento impendisse, quod nequaquam illustravit, neque „in's Reine“ perduxit. Vocem ibi modo servatam vellem, ubi indicare iuaret, mortem ex causa nondum nota, ortam: sic Apoplexia nervosa = asthenica = imaterialis, nobis hucusque sit = ignota X. Quia in multis cadaveribus mortis causa indicari nequit, hinc non deducere fas est: „novus saeculorum ordo“ huius generis occultam causam numquam inveniet: male hinc CRUVEILHIER: mais reculer la difficulté c'est dans les sciences d'observation un commencement de solution du problème, c'est le dégagement d'une inconcue; si, omnibus sepositis, apoplexiam nervosam, invenimus, nihil in-

apoplexias — id est ideam non sensum Etymologicum — non solum in cerebro sed etiam in medulla offendi: nuper oculos multo latius extendere, rem penitus inspexere, quaesivere, et mox invenere, omnia organa, parenchymatosa dicta, apoplexiae formis variis affecta; quid magis — viderunt Apoplexiam in liene secundum naturam, quodammodo fieri (VIRCHOW.) — Id unum tamen nostra interest scire, quomodo Apoplexia spinalis et cerebri oriat; et haec quidem ex abnormi ad caput vel medullam, sanguinis adfluxu — Hinc, parum refert, utrum vasa vel sinus cerebrales et spinales, sanguine admodum turgidi, scintillantes, dirumpantur, nec ne; sanguis nimis et intra et circum cerebrum vel medullam congestus, pressionem quandam efficit, — cerebrique nutritionem impedit, hoc unum sufficit, ut iam diximus. Recentiorum scriptorum ideas in ordinem redegit, et pulcherrime illustravit, novisque suis auxit, vir Ds. N. RAMAER, (Ned. Tijds. voor Ger. Gen. en Ps: Jaarg. II, N°. 1 p. 36) quem vide, et scriptores ibi laudatos, prae caeteris vero, DONDERS et BERLIN.

(1) Conf. de Asphyxia: PH. PINEL, Nosogr. Philosophique, p. 234. — T. III. (ab  $\sigma\psi\upsilon\gamma\mu\delta\varsigma$  sive  $\sigma\phi\delta\chi\iota\varsigma$  et  $\alpha$  - quod dicunt  $\sigma\tau\epsilon\rho\eta\tau\iota\chi\delta\nu$ .)

(2) HINZE (HENKE, Zeits. Jahrg. IV, p. 328 seq.) exemplar notatu dignissimum refert, ubi duobus tantum, a suspensione, scrupulis nondum clapsis, genibus procumbentem, mesirrinum patrem familias mortuum invenerit: aperto cadavere, laesio interna nulla videre erat.



venimus: melius CICERO: quam bellum est confiteri potius nescire quod nescires, caet: (N.D.: I, 30). Reicienda itaque vox: Apoplexia nervosa. Obscura commotio cerebri, tenebrosae affectiones nervi sympathici, nondum recte illustratae sunt: hinc easdem penitius adumbrare non ausus sum: miserrimus eventus quo Hypotheseos larga via, celeberrimos viros iamiam deduxerit, solenni exemplo probat, quam facile eandem viam secuti, aberrare possumus. Aliquot exemplis dictum illustrare iuvat. De origine occulta et sub cranio saepe nequaquam reperiunda, et apoplexiae et aliorum cerebri morborum, dudum prolixè iam conquestus est BALLONIUS (Op. ed. Tronchini T. III, p. 46). WILLISIUS (o. l. P. II. C. 8). WEPFER (Hist. Apopl. p. 619) retulere historiam valde memorabilem, senis subito enecati, in quo post mortem cerebrum absque omni labe invenere. "Hoc in casu subiungunt (l. c. Wepf. l. c. 621) nil aliud suspicari licuit, quam spiritus animales intra cerebri medullium consitos, a particulis quibusdam malignis sive narcoticis, sive aliis infestis, subito profligatos et quasi extinctos fuisse." SYDENHAMUS, de Apoplexia locutus quae ex eo nascitur, quod cerebri cortice, pituitae copia referto ac scatente, spirituum animalium meatus ac semitae intercludantur, a qua quidem caussa nullatenus oriri apoplexus videtur; quae vehementiori alicui animi commotioni debeatur (op. univ. p. 388. L. B. 1726). BOERHAVE, de Apoplexia ex debilitate et inanitione (de morb. Nerv. T. II, p. 643—52. Instit. med. § 860, n°. 4) locutus est. SEELMATTER (Diss. pract. Hall. T. VI, p. 681 § 17.) dari censet Apoplexiam, in qua nullae stagnationes et humorum effusiones, in cerebro reperiantur, et in qua oculi non sunt protrusi vitreique, eamque ex subitanea nervorum relaxatione, caet: proficisci. In Act. nat. curios. (vol. X, p. 117). FABRICIUS apoplexiam describit, excitatam ab ingenti cholelithorum numero, ubi post mortem ne vestigium quidem sanguinis extravasati reperit, vasa potius encephali sanguine vacua et aere repleta. Alias apoplexiae causas, sensus omnino fugere alios sub hos cadere, docet MORGAGNUS (o. l. Ep. II, n°. 5) cum eo facit SCHROEDERUS (Dissert. d. Apopl.) qui hanc suam sententiam, variis auctorum testimoniis comprobatur (§ IV, XI) adfirmantibus, nonnumquam absque ulla causa, quae comprimendo suam in encephalum exercet efficaciam, apoplexiam oriri. DE HAEN (Rat. Med. T. IV). Apoplexiam ex defectu spirituum animalium commemorat et STÖRCK (Med. prakt. Unterr. T. I, p. 317) mentionem facit Apoplexiae ex subitanea spirituum animalium paralyti ortae, absque ullo, post mortem, in corpore reperiundo vitio: simile quid, Apoplexiam nempe, insigni nervorum debilitati, et collapsui quasi, quandoque debere natales, docet WITHERS (Bemerk. über d. Fehl. b. Gebr. d. Arzn. p. 209). Qui scire cupiunt Theorias, hac de Apoplexia a LE CAT, claro illo Gallorum Chirurgo, et ab illo qui huius vestigia postea pede pressit, a WLJKARDO extractas, legant quae fusius de illorum opinione exposuit KORTUM (o. l. § 3). Finem taedioso labori faciat expositio, quam CL. NICOLAI (v. d. Fiebern, p. 485) quondam edidit; ab aequalibus iam repudiata hypothesis, viri nobis digna visa est, qui nonnumquam bonus et quidem egregius, quandoque dormire adeoque aberrare solebat, ut GOETHE non ita inepte, cum illo quondam luserit, ubi sub *Proktophantasmistae* forma, NICOLAUM nobis depinxerit (Faust, Th. I,



Walpurgisnacht). Iudicet lector, quid de viro cogitandum sit, qui Apoplexiam, cuius post mortem, nullae conspicuae causae detegantur, a spasmodica meningum, piaë præcipue et Arachnoïdeae, contractione. cerebrum stringente, forsam oriri existimat. «O quantum est in rebus inane!» (Persius) Eluceat quam vanae sint plerumque Hypotheses, quam inanes fictiones, quam vacuae speculationes.

Huius modi nugas canoras perlustranti, magni Stagyritae subit recordatio, qui in casu difficili aliud aenigma, alio resolvere solebat; sic v. g. *Μηχανικὰ προβλήματα*, sic orsus est; miracula sunt ea quorum ignorantur causae; mox de vecte agere incipit, postea de circulo: monstrat ipsum circulum nequaquam intelligi, nequaquam percipi posse, quid magis; indicat circulum esse miraculum ipsum, sequentiaque porro subiicit. «Istud vero ratione contingit, ex admirabili etenim, mirum accidere quippiam, non est absurdum (Cap. I.) — KORTUM, quamvis multas supra memoratas opiniones vituperat, novam non minus vituperandam, ipse refert, quaenam opinio, ut adcuratius cognoscatur, ex toto opere perlecto, modo patebit, ubi lector, iuxta doctrinae copiam, ingeniique crebros igniculos, multas quoque mentis aberrationes inveniet (C. GEOR. TH. KORTUM, De Apopl. nervosa. Gott. 1785. Conf. LUDWIG, Ser. Neurol, min, T. IV. p. 373.) Ecce quid de Apopl. nervosa fecimus, nobis in posterum maneat nomen, quo depingamus mortem, cuius vestigium nullum in cadavere salutare possemus; sic vocem illam postea iterum adgrediemur.

Mors pressione colli nervorum orta. Alia mortis causa illa est, cui hucusque animam non, satis advertimus, et quae forsitan non omnino reiicienda est: mortem specto, ex pressione magnorum colli nervorum: postea videbimus luxationem, vertebrarumque fracturam, lethalem, non ita facile accidere, durante suspensione; videbimus alios, prae omnibus vero Dm. EGGERT (Ueber d. Todesart d. Erh. Henke, Zeitschr. Jahrg. II.) (1) nimium tribuisse ingularium venarum medullaeque extensioni caet. Ex colli fortissima structura patet, sympathicum nervum, partibus quippe resistentibus adpositum, a laeque vi satis esse custoditum; non ita nervus vagus. Medici forenses, inde fortasse multam operam hucusque non impendere, huicce nervo circumspiciendo, quod occasio non ita frequens occurrat, perscrutandi omni qua conveniat cura, suspensorum cadavera; huius modi enim disquisitiones plerumque satis propere fieri solent, magna organa tantum inspiciuntur, neglectis inferioribus — et si in finem hic spectatum bruta animalia adhibentur v. g. canes, cuniculi, mures (ut ego feci.) vagum nervum illacsum invenies, quum eo ipso situ, multo tutius custoditus sit, a caeteris colli partibus sedulius praectectus, quam quidem in homine.

Præ aliis nervi vagi. Quid vagi nervi laesiones in organismum efficere valeant, prius breviter erit referendum, quid in respiratione, quid in cordis motum possit, id unum hic memorandum habebō.

ASTLEY COOPER (Some experim. and obs. on tying the carot. a. vert. Arteries, and the Pneumogastric, Phrenic and Sympathetic nerves. Guy's Hosp. Rep. Vol. I. p. 457.) utrumque nervum vagum vin-

(1) Das Erdrosseln tödtet durch Compression, das eigentliche Erhängen aber durch Extension: Das letztere ist das mächtigere.



culo circumstrinxit, respirationumque numerum a 135 ad 48 decrescere vidit. ARNOLD (Bemerk. u. d. Bau d. Hirns u. Rückenm. nebst Beitr. z. Phys. d. 10 u. 11ten Hirnn. Zurich 1828, p. 167) eadem refert, confirmat, et addit haematopoesin hinc laborare, corporis calorem imminui, sanguinem in corde in pulmonibus et in vasis maioribus accumulari, cor ipsum denique, magis magisque paralyti affici, mortemque ex asphyxia, sensim sensimque subreperere. BRACHET (Rech. Exp. s. l. fonctions du syst. nerv. ganglionaire, p. 157) experimenta instituit quae docent "sensationem" (s. v. v.) illum, ad spirandum nos incitantem, stimulantem, urgentem, et iuxta famis, sitisque perceptionem a functione nervi vagi pendentem, non amplius sentiri, resecto vago in utroque colli latere; sic v. c. canem, persecto utroque vago, sub antlia pneumatica, absque ullo certamine agonis, post dimidiam sive post tres quartas horae partes, emori observavit, illaeso nervo vago, acriter de vita pugnatum est, priusquam mors asphyctica adgrederetur. Suavissimus ROMBERG exemplo e puero duos annos nato, rem nuper adfirmavit, illustravit. Licet viae aeris transitui inservientibus, veluti seclusae erant, aeris ille defectus nequaquam observabatur. Musculi enim expiratores non praeter modum officio fungebantur; post mortem vero, uterque Nervus Vagus, glandulis concatenatis s. iugularibus, pure tumentibus, compressus, obsitus, lethifero veluti milite cinctus, inventus est; addit porro vocem illam cholericam dictam, saepius originem sumere, ex nervi vagi anaesthesia centrali, vocemque illam, pessimi ominis, praesertim in hac Asiaticae Cholerae forma occurrere affirmat, Asphycticae nomine insignita (Conf. porro James Reid, on infantile Laryngismus. London 1849.) HUGH LEY. BERGSON, Das kramph. Asthma der Erw. 1850. HOPE, Treatise on the diseases of the Heart and great vessels.) VOLKMANN (Müller's Archiv. 1840. p. 494.) utrumque Pneumogastricum nervum, in cane persecans, nervi recurrentis actionem, simul destruxit et rimam glottidis statim ita concludi, ut non prorsus aperiretur, observavit. Ei assentit STILLING (Ueber d. Beweg. d. Kehlk. caet. Haeser's Archiv f. d. ges. Med. Hft. 3, p. 326) Scio quidem hic de nervo recurrente agi, at ubi in colli parte superiori, nervum vagum destruimus, recurrentis actionem, quoque laedimus; quae indicasse sufficiat: fusius de hoc argumento agunt, recentiorum Codices, Physiologicam doctrinam exponentes.

Si porro nervorum plexus, cor adeuntes, laesione quadam afficiuntur, tunc quoque mors inde sequi potest. Experimenta ab A. VON HUMBOLDT, BURD, VALENTIN, VOLKMANN caet. instituta, transiliens, casum adtingo ab HENLE quondam (A. D. 1852 Mensis Maii 25) observatum Mannheimi, in corpore recenter capite truncati. Quindecim scrupulis post mortem praeterlapsis, totum cor dextrum adhuc pulsabat, sinistrum in otio versabat. Sinus dextri, quavis minuta, sexagies aut septuagies Rhythmica fiebat contractio. Aperta colli regione circa quartam vertebrae, vagoque ipso exsoluto, strenui rotatorii apparatus Galvanico, fluido, nervum exposuit; parco rotatu peracto, cordis motus subito stetit: scrupuli temporis spatio praeterlapso, fila, fluidum ducentia, remota sunt, cordis ictus mox in integrum restituebatur; idem secunda, idem tertia vice, Phaenomenon, observanti sese obtulit. Nervo Sympathico



vero, eodem adparatui exposito, effectus directo contrarius exoriebatur, cordis motu quam maxime accelerato. Sed de Sympathico dicendum non habeo. Hucusque HENLE. Eluceat vagi functioni, inesse vim cordis motum retardentem, (Hemmende Wirkung, WEBER, BUDGE.) illum esse quasi antagonista, nervi sympathici — Conf. porro TRAUBE, Beiträge zur experimentellen Pathologie. Berlin 1846. SCHIFF, Die Ursache d. Lungenveränderung nach durch. d. vagi. GRIESINGER, (Sechswöchenschr. Hft. 7 et 8.) A. SOLINVILLE, Anat. disquis. et descr. nervi pneumogastrici Turici 1838. Et TRAUBE, et DONDERS nuper, docuere, cor ipsum a pulsando desistere, simulac reseti vagi, truncus inferior, stimulo quodam afficitur, pulmones contra a spirando, simulac truncus superior, stimulat; fusius hanc rem nuper tractavit H. SNELLEN, qui duce DONDERS experimenta instituit, in nervi vagi functionem indagandam. Conf. Ned. Lancet, Serie 3, Jaarg. 4, p. 421 et scriptores ibi laudatos, vel aureum illud opusculum a C. ECKHARD conscriptum. (Grundz. d. Phys. d. Nerven. Giess. 1854, p. 135.) Antiquorum experimenta ipsorumque historia, apud MORGAGNUM (Ep. I. Art 23 et 24.) Quid tandem sequatur necesse est, simulac pneumogastricus nervus, cordis motum sistat? Sanguinis arteriosi ad cerebrum adfluxus, interrumpitur; idem efficitur quam si et carotides et vertebrales vinculo circumdares, aut subito ad caput, sanguinis immensam deplotionem institueres: dies doceat, num subsequencia symptomata ex cerebri vasis subito evacuatis, originem salutent an ex cerebri motu perturbato (ut BICHAT contendit — non probat tamen utrum motus ille cerebri, vere fiat, calvariae ossibus nondum adapertis, patefactis.) Sed — nostra parum interest — corde dextro, motui valedicente (dummodo non sit vulneratum; tunc enim exitus non dispar, ac si cor sinistram a pulsando desistat, quippe quod sanguinem prorsus adsumere nequeat) idem accidit quam si iugulares venas ligares; cerebrum, sanguinis flumine, ipso temporis puncto propulso, quo cor sistat, sed non amplius deducto, statim pressioni, nimis gravi, expositum est. Redeamus hinc ad quae argumento nostro inde coaptari queant; fieri potest ut aliquis licet vere suffocatus perierit, suffocationis symptomata tamen non ostendet, faciem puta nequaquam anxiam, oculos placidos, os ad spiritum ducendum non adapertum, linguam non prominentem, musculos denique inspiratores, non contractos; — quid magis? Stasis sanguinea sive hyperaemia organorum, parenchymaticorum nomine insignitorum, plane abesse potest: quae omnia accidere queant, dummodo nervus vagus, quovis modo, ipsius laquei vi immediata, laedatur (Conf. quae de cane retuli, de quo BRACHET, o. l.) Fieri potest ut mors ex suffocatione, constricta quamquam trachea, non obtineat: laqueus enim constrictus, vi sua, utrumque vagum nervum, simul vi sua circumdat — et cor statim a pulsando desistit; quae tunc mortis causa proxima et primaria. «Caetera quid referam» (Ovid.) Id nunc indicasse sufficiat; benevolus enim Lector, plurima inde deducenda inveniet. In suspenso, quem omni sedula, qua potuerim cura, perscrutatus sum, doctissimi v. DISSEL, amica dextera auxiliante, utrumque nervum vagum, tantopere suffusum inveni sanguine, qui in aqua maceratione satis longe protracta, crebraque ablutione, abstergi naquaquam potuit, ut facile inde concluderim, idem accidisse, ac si nervus resectus fuerit; quamvis mors iam ante triduum ingressa fuisset, tamen



postea graviter dolui, me non examen microscopicum, tunc temporibus, instituisse; nuper enim alius viri suspensi, vagum dextram, in statu normali, versantem, salutans, sinistrum vero, rubri coloris, examen microscopicum institui: vidi in ipsa vagi substantia, decurrentia vasa sanguinea, sanguine scatentia; quid magis-vidi disrupta; vidi sanguinem in ipsam nerveam substantiam laesam, effusum. (Testari posset doctissimus Prof. v. GEUNS, qui mecum, dicti vel potius — visi — sibi tunc persuasum habebat). In omnibus nervis vagis, e cadaveribus sumtis, alio modo mortuis, nihil huiusmodi armato oculo sese subiecit: difficilius dictu tamen est, utrum ea suffusio, eodem effectu gaudere posset ac resectio totius nervi: i. e. utrum illa laesio, secundaria tantum sit, an sola per se mortis causa esse posset. Id tamen statui potest; nervum vagum, nonnumquam in vivis suspensis offendi, sanguine suffusum et hyperaemicum, non in cadaveribus suspensis, vel alio modo mortuis; ubi ergo vagus sanguine iniectus invenitur, in suspensio, ibi de suspensione, durante vita, dubium hucusque movere non fas est. Ad finem operis breviter huc redibo.

Alia quoque mortis suspensione, causa est: mortem ex cerebri anæmia specto, cuius, passim, nonnulla exempla circumferantur. Illam occurrere posse arteriis compressis, aliquot venis vero qualicumque modo pressione liberis, postea ostendetur; qui mors illa oritur hucusque plane sub nebula latet.

De pulmonibus quaedam. BICHAT (o. l. P. II, Art. III, Init). Pulmones sedem adpellat duarum functionum, valde inter sese, invicem differentium, mechanicarum et chemicarum; hinc in § 2, eiusdem articuli, rem copiose perscrutatam et expositam, sic resumit. «Telle est la différence de la mort du poumon, à la suite des lésions du cœur, que, si c'est le côté à sang noir qui est affecté, les phénomènes chimiques cessent d'abord, puis les mécaniques finissent; que si l'affection existe au contraire, dans le côté à sang rouge, les premiers terminent et les derniers commencent la mort; comme la circulation est très rapide, un très court intervalle existe dans l'interruption des uns et des autres. (Art. VI). Strangulationis caeterum, in pulmones, effectum, chemicam tantum actionem afficere, exponit. Uterque cordis ventriculus, uterque sinus, eadem sanguinis specie (venosa, puta), referti, sensim sensimque ad vitae terminos, adducit laborantem: hic pulmonum affectio, primaria, cordis illa, secundaria. Varius itaque moriendi est modus, aut esse potest, sive corde, sive pulmonibus nervorum actioni, prius detractis. — Haec de BICHAT — Quamquam, quod supra indicavimus, falsa sit idea et erronea, varia organum systemata, singula vita, gaudere, cuius finis tantum, in vitam universam sustentandam, concurrat, species tamen veri, in tanti viri expositione, iure inesse videtur, et libenter illi honorem tribuimus, se, in tanta organorum diversitate, primum exposuisse, quidnam sit vinculum qui omnium functiones, in unum scopum spectare, in unum finem tendere facit, in vitam, puta — et quaenam sint damna, quae reliqua organa capiant, unius functione, potentia nociva, affecta.

Quaenam porro sit reactio, in cerebrum, cordis actione destructa, quaenam sit, pulmonum functione, cessante, extra operis metas nos deduceret; denique simul in periculo versaremur, ut in eandem incidere-



mus culpam, quam modo in BICHAT vituperavimus.

De Trachea oclusa et de opinione a DE HAEN edita. Conspectus Historicus mentionem facere nos cogit sententiae cuiusdam a DE HAEN quondam editae; contendit enim, quamvis falso, suspensos plerumque emori: Trachea oclusa.— Saepe conatus sum, stilum perducere, per tracheam suspensi cadaveris, quod semper contigit dummodo, laqueus colli partem, aut infinam, aut summam, (supra laryngem) non premeret. Quae postea a FLEISCHMANN inventa referentur, sic confirmata inveni. Quid porro DE HAEN? Peripneumoniam semper subsequi posuit, viae aerae interclusionem. (Peripneumoniae vocem alia significatione accipiendam esse, quam nostris diebus, facile patet.) Hinc de nefario quodam, publico supplicio damnato, ubi laqueus eam modo plagam quae inter cartilagineam scutiformam et os hvoides est, strinxerat, unde diu pependit oportet luctatusque cum morte fuerit, antequam sontem, animam efflaret, pectus minus gravem peripneumoniam ostendit. Suspensum diu, vivum adhuc, pependisse, omnino verum est, ut postea ex experimentis a Ds. FLEISCHMANN editis, patebit; — minus tamen verum est, quod DE HAEN, de HALLERO, contendit (illum nempe sibi esse consonum,) «quin et per ipsa sua experimenta eandem (i. e. mortem) peripneumonicam esse invenerit.» DE HAEN verumtamen exponet quomodo ex loco illo (El. Phys. T. III, 19), «eos (strangulatos) homines facile crediderim apoplexia potius quam ex intercepto spiritu perire» et porro. — «Non tamen admittunt experimenta mea, laqueum organis respirationis non nocere», huiusmodi quid deduci possit. Experimenta in canibus instituta memorat (Rat. Med. Cont. p. 163 seq.) ubi laquei ope, Tracheam plane ocluserit «Transitus interclusus omnis erat.» STOLTE (Diss. inaug. de morte susp. Gron. 1766) mortem Asphyxia produci contendit «Mors dependet tantum a respiratione impedita» et alio loco «Manifesto demonstravi, stilo per Laryngotomiam inducto, imperviam aëri, asperam arteriam laqueo reddi. Indicasse sufficiat, quatenam apud DE HAEN, vigeat opinio. Se Asphyxiam eodem nomine dixisse ac peripneumoniam, patet; minus rectam verumtamen eiusdem fuisse ratiocinationem, inde eluceat, quod experimenta in brutis animalibus instituta, in ipsum hominem nimis transdixerit. In canibus enim laqueus ita adlabitur, ut Tracheam plane obstruat; nequaquam in hominibus. MARTINI mortis causam mixtam vocat, LUDWIG (Inst. Med. for Lips. 1765). «Strangulati magis Apoplectici quam vere suffocati pereunt, aeris enim accessus ad pulmones, vix prorsus denegari potest» (§ 302). Conf. porro, WEPFERUS, l. l. p. 185—189. WEBER, obs. med. fasc. alter p. 2. CAMERARIUS, Syll. memor. med. caet. Cent. VII. P. IV. J. H. STOLTE, l. l. p. 19 sect. 1<sup>a</sup>. H. KLENCKE, u. d. Bd. u. Heilz. b. ein. Arten d. gew. erz. Scheint. Leipz. Ed. KUMMER, 1845. FUCHSIUS, obs. in novis act. Phys. Med. Norumb. 1777. C. J. HIECKE, diss. de susp. caet: Ex ore Cl. W. VROLIK, nuper accepi, doctissimum SCHOUTEN quondam experimenta instituisse, quibus probare tentaverit, strangulatos et suspensos, suffocatos perire. Omnia colli organa, sola Trachea libera relicta, vinculo circumdedit circumstrinxitque; animal per quinque circiter horas, vitam protraxit; quis tamen inde deduci vellet, sola trachea pervia, ad vivendum opus esse? Tracheam quovis modo aëri impermeabilem factam, vitae semper



finem imponere, antiquis iam innotuit. Tei ANACREONTIS subeat recordatio, qui, ut aiunt, vinosus, grano uvae suffocatus perierit. ("Tandem acino passae cadit interceptus ab uvae," ut ANGELUS POLITIANUS) aut DRUSUM, quem CLAUDIUS CAESAR, Pompeis, impuberem, amiserit, piro per lusum in sublime iactato, et hiatu oris excepto, strangulatum, ut narrat SÜETONIUS TRANQUILLUS, (Lib. V, C. 27) aut FABIUM, in lactis, hausto uno pilo, strangulatum (PLIN, 7. C. 7). Aut BONNETI (Sepulchr. Sect. 2. obs. 6) ubi iuvenis robustus, frustulo carnis in laryngem illapso, et hanc totam obturante, subito, pereunte respiratione, antequam advocaretur chirurgus, sit suffocatus, aut PETIT similem casum referentis (Mem. de l'Acad. R. d. Sc. caet. 1742), aut HALLERI (Op. Path. obs. 7), aut, ut finem imponam, longae divagationi, infelicissimi miserimique GILBERT, qui post triduum, acerbissimo cruciatus doloris, perpresso, tandem in Nosocomio quodam Parisiensi, suffocatus perierit (Hotel-Dieu). Astantes vocem quam continuo ediderat "la clef m'étouffe," pro dementia existimati, post mortem tamen ad laryngis aditum, clavem prehensum invenere. Illa clavis erat, quam anxius et amens resorbuerat, quae scrinium, scripta sua continens, praeccludere solebat. MORGAGNUS intelligit quidem, cur multi scriptores, huiusmodi exemplis persuasi, et suspensorum mortem, tracheae oclusioni tribuerint: opinioni verumtamen non favere videtur: "Mirandum non est pluribus, inter recentiores etiam ut DIONISIO LANGUTHO, aliis placuisse, ob hoc unum interire suspensos quod respiratio intercipiatur, in eandemque sententiam demum viros celeberrimos transiisse, quibus antea visum esset, constrictis venis ingularibus, id potius esse quam ab impedito aeris usu, repetendum."

Breviter circumspeXimus, quomodo vivi, laqueo suspensi, emori possint? Adeamus aliam quaestionem mere "practicam." MÉRHISTOPHELEM clamantem audivi:

Grau, theurer Freund, ist alle Theorie,  
Und grün des Lebens goldner Baum!

et caeterum, — nobis postea huc redeundum erit.

Ast ubi de morte, sermo erat, ibi primo et de vita agendum existimaveram; ubi de suspensione, ibi et de mortis origine, dicendum; quo factum est ut extra propositi limites, nimis fortasse deductus sim. Mihi posui quaestionem sequentem.

*Num is qui suspensus deprehenditur vivus an mortuus suspensus fuerit? Quid vivum suspensum, a cadavere, pendulo deprehenso, distinguit?* Quaestionem hanc iterum perlustrans, (iam antea conatus eram illi responsum dare,) iterum intueor mihi non datum fore, recte illi respondere: sufficiat si data quomodocunque critice inspexisse contingat; si quosnam inde fructus mihi carpere possem, sane ii forent, quod res undique dispersas, passim disiectas, uno eodemque velamine circumductas, clarius oculis fidelibus subiecerim. Hinc sequitur me parum "novi" inter sequentes paginas interiecisse. Saepe dolui novam quam existimarem ideam, postea nonnumquam, ubi argumentum minus ignota tellus mihi videri coeperit, aut totidem verbis, aut paulisper inmutatam, cum apud antiquiores, tum apud recentiores auctores, iam longe ante, scriptis mandatam fuisse; novum ergo flosculum quem ex



meo horto collectum duxeram, sic eo frequentius et in alius vireto salutare saepe conatus fui, quo minus eram peregrinus in mea materia.

Cuivis fortassis scriptori idem accidere solet et post me pluribus etiam continget; hinc inter scribendum saepe credidimus, et hodie adhuc valere Sapientis illud "solem" nihil "novi" illustrare; omnes mecum consentientes habebo. Sic vias sub fluctuum sinibus structas, novitatis praestigiae, (-prestige — Francorum) nuper effugere vidimus. Siciliam enim insulam cum Italia ipsa, cloaca, vel aquaeductu submarino quondam coniunctam fuisse, alii contendere, alii ductus rudera, nuper invenere: quid magis? Hispaniam antiquissimis temporibus cum Africae terra, huiusmodi via coniunctam fuisse contendunt; opus sane ingentius quam Anglorum ille sub Tamiso cuniculus (-Tunnel). SALOMONEM (1) sic loco quodam obscuro, de igne agentem, in aqua supra suam virtutem valentem, iam locutum esse ferunt, de vi, vaporis ope, parata, (-stoomkracht) sic HIPPOCRATICUS quidam iam docet, se internoscere posse, aure pectori adposita, utrum pectus istud aërem, pus, caet: contineat, nec ne. De Percussionis vero arte, conferendum iam videtur ARETAEI CAPPADOCIS, summi medici, opus praeclare conscriptum (De Hydr. Ascit. L. II. C. I. D.) "fluctuantis liquoris sonus exauditur. Tympanias autem ultra tumoris spectaculum, etiam auditus sonorus est: nam ad palmae percussum abdomen, sonum edit" (ἐσακούειν τὴ καὶ τοῦ κλύδωνος (ἐὶν) πατάξης τῆ χειρὶ). Secundum MOHR (Poggend. B. XCI. p. 625). HOMERUS iam de Ozone (ὄζων ab ὄζω) locutus est! (Oduss. L. XII. v. 417. XIV, 307. II. VIII, 135 et XIV, 415).

Quo fit ut "grandia si parvis adsimilare licet," et ego satis facile tristitiam leniverim, nam "Solamen miseris socios habuisse malorum" (VIRG.). Quod ipse ergo significare voluerim, facundus SENECA, amice lector tibi pro me indicet. — "Veneror itaque inventa sapientiae inventoresque: adire tamquam multorum haereditatem iuvat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus bonum patrem familiae, faciamus ampliora quae accepimus: maior ista haereditas a me, ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis, multumque restabit; nec ulli nato post mille saecula praecludetur occasio, aliquid adhuc adiaciendi. Sed etiam si omnia a veteribus inventa sunt; hoc semper novum erit, usus, et inventorum ab aliis, scientia et dispositio; — multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt (Ep. LXIV). Pulcherrimis hisce verbis, non est quod addam de meo. HIPPOCRATES iam agit de vivis suspensis, saecula venientia novas res argumento subiecere, alia delevere, alia destruxere, nostra emendavere et castigavere. Iure merito CLAUDIUS omnia haec confuse scripta inspiciens, rursus exclamaret:

Alles durch ein ander,  
Wie Musedreck und Coriander.

Quid in vivorum suspensorum cadaveribus salutare sole-

(1) SAPIENT: C. XVI. — 17. Quod enim mirabile erat, in aqua, quae omnia extinguit, plus ignis valebat. — Ibid. 19. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique — sed praesertim C. XIX. — 19. Ignis in aqua valebat, supra suam virtutem et aqua extinguentis naturae obliviscebatur.



mus? Colligamus in unumque redigamus, quae passim in variis scriptis et codicibus, cum antiquis tum recentioribus, de hocce argumento offendantur. "Opus adgredior opimum casibus — obiter — atrox proeliis" (TAC. Hist. I. 2).

VIVI SUSPENSII, NOTAE QUAE VULGO HABENTUR SPECIFICAE. Omnes fere auctores cum recentiores tum antiquiores, quaestionem num quis vivus an mortuus suspensus fuerit, sic solvere sibi visi sunt. Vivus suspensus, maculas ostendit lividas, violaceas, rubentes caet: praesertim cum regionis lumbalis, cum crurum, tum brachiorum, faciem posticam obsidentes; facies illi tumida, vel livida, vel sub-coerulea est, et aures, et palpebrae oculi, aut tument, aut livent; os distortum est, labiis tumidis, caeruleis; lingua nigricans, prominet; oculi plerumque semiaperti, partes internae, prae sanguine turgent, passim nonnumquam extravasato, suffuso. Spuma saepe sanguinea in ore est, vel circum os et nares oborta offenditur; digiti lividi contracti, pugnum faciunt. Genitalia virilia et tument et livent, et rubent, quibus multi addunt penis erectionem, et siminis et urinae et faecum expulsionem; laquei circum collum vestigium, vel liventis vel nigricantis coloris est, extravasationibus sanguineis vel crebra ecchymosi obsessum, obiter excoriatum.

Aperto vero cadavere pulmones occurrunt, prae sanguine nigro, fluido, distenti; bronchi et cellulae aeriferae, spumanti liquore referti; totum cor dextrum, ergo et auricula dextra, prae sanguine congesto, rupturam minitans. Omnia organa parenchymatosa dicta, sanguine plena, quid magis — nonnumquam cum sanguinis effusione in ipsorum pulpa; tubus intestinalis, rubri coloris. Vasa sanguifera cum corporis totius, tum maxime, colli, cum menyngum tum cerebri ipsius substantiae, prae sanguine nigro, turgida; ventriculi cerebrales vel sanguinem effusum vel sanguinei coloris, largam seri copiam continent. Diaphragma versus thoracem retractum, et ligamenta et musculi ab osse hyoideo avulsi; larynx, vel reliquae Art. Asperae cartilagineae, disruptae, lacerae, contusione affectae, quibus multi additas volunt, colli vertebrae vel fractas vel luxatas.

Horum symptomatum plura si desiderarentur, de vivo suspenso ne seratur sermo, prae aliis laquei vestigio deficiente; (quodnam vestigium apud ipsos qui vivi suspensi deprehendantur, in extravasationes sanguineas, musculorum decursum secutas, abire solitum esse, ferunt).

Brevis ecce conspectus signorum quae tamquam norma dari solent in ipsis fontibus, unde exhaurire cupimus, num in examine medico-legali, dubiis allatis, admotis, vivi suspensi cadaver salutandum sit, nec ne. Apud MICHAELEM ALBERTI cuius sententiae plerumque a posteris transcriptae sunt, multa, argumentum docte et clare exponentia, multaque apud varios auctores passim disiecta invenimus, quae omnia materiem nostram tractant; inter scribendum, aliae forsitan sententiae occurrerent et tamen mihi persuasum habeo, me maiorem auctorum turbam exspoliantem, certe nova signa addenda, spolia veluti opima, semper inde relaturum fore. Quanti signa, nuper memorata, habenda sint, pondusque eorum fideli iustaeque librae imponere, metiri num aequae trutiniae sint pondera, sequentis inquisitionis sit argumentum. Demonstrasse si contingat, haecce symptomata et alibi occurrere;



indicasse me si eluceret, ex fideli naturae observatione, ista originem nequaquam deducere, ad metam propositam me pervenisse existimabo (1). On conçoit avec peine, qu'un objet d'une aussi haute importance, ait été traité avec autant de légèreté par des écrivains, dont les ouvrages ont dû servir de guide aux Médecins (ORFILA, *Traité de Méd. leg.* T. II, Ed. V, p. 354.)

DE MACULIS CADAVERICIS LIVIDIS, CAET. Dicenti regionem dorsalem, lumbalem, brachia et pedes (praesertim quoad faciem posteriorem,) apud eos qui vivi suspensi sunt, maculas ut vulgo fertur rubentes, violaceas, lividas caeruleasve ostendere. responderem 1°. multos iam, durante vita, hocce signum praebere; docente VIRCHOW semper istud symptoma observari posse in membris sanguine repletis, sensim sensimque frigori expositis. Quotquot tempore hiemali, nudatis pendulisque manibus, deambulatam eant, breve post temporis spatium dictum affirmare possent. Quotquot, fluctibus maritimis iam frigescentibus, « corpoream carinam » confidunt, territi fortassis, cutem suam inspiciant, mirati ipsam eadem ac suspensi signa referre; expertus loquor. Febrem adgressam manus caeteraque membra, praesertim si casu cicatrix quaedam v. g. ulceris cruralis, insit, livido colore tingere quis nescit? Hyperaemiae cutaneae, capillaris dictae, scientia, quemnam medicum fugit? 2°. Quae mortis in spiritus hominis tabernam effectus commemorant opera, multa verba faciunt, de maculis, quas sequelas vocant potentiarum hydrostaticarum, in serum reagentium, cui sanguinis dissoluti color, admixtus sit. At — sic inferre posses — hic tantum agitur de cadaveribus suspensorum, non de cadaveribus semi iam dissolutis. Quaestio responsi locum capiat. Quo temporis puncto dissolutio haecce orsum facit. Sed ne quidem opus est hacce quaestione. Cuicumque enim varia variis morbis vita functorum cadavera, circumspicere, saepe data est obportunitas, multorum recordabitur, ubi macularum istud symptoma, praesertim in quibus incubuerint lateribus, observari potuit. Ego saltem saepe id notavi in cordis affectione morbosa affectis, nondum quidem plane refrigeratis. Suspensos autem maculas hasce iam indaganti oculo praebere, antequam e fune dissecti fuerint, nullibi scriptis traditum inveni. Contrarium autem quid saepe legi, sic v. g. in exemplo illo, quod cum ea qua scriptor erat auctoritate, tum propter accuratam depictionem, saepe adfertur, casum specto celeberrimum, ab ESQUIROL traditum, (*Archiv. génér. de Méd.* Tom. I, Jun. 1825. Conf. RUST, *Magaz. B.* XIV, H. 2.) maculae caeruleae, sexta tantum aut octava mortis hora, observanti sese ostendere. Verum

(1) Conf praeter MICH. ALB. *Jurispr. Med.* T. I. Init., Act. Berolin Dec. I, V. 7. Nova Act. Nat. Curios. Vol. VI. BOHN, *Renunc. vuln. leth.* p. 144. *Diss. de vivis mortuisve suspensis.* BRINCKMANN, vid. ROOSE *Beyträge caet.* Brunsw. 1798. St. I. DE HAEN *Ratio Med. Contin.* HEBENSTREIT, *Anthropolog. for.* LENTILIUS, *Eteodrom. an autochir fuerit, examen* p. 275. LOUIS, *Memoire caet. pour dist. les suites du suicide de celles de l'Assassinat.* Par. 1767. METZGER, *System.* Ed. 3a § 345. DESLAUDES et ROUGET, *Revue Med. fr. et étrangère.* Par. 1824. ESQUIROL, *Arch. gén. de Med.* T. I. Juin 1825, porro FLEISCHMANN, HINZE, REMER, KLEIN in op. infra laudatis. CHRISTISON, G. LUDWIG, *Inst. Med. For.* Lips. 1765: alii, laudati apud KRAHMER, *Handb. d. Ger. Med.* p. 473. Sed.

Iam satis est. Ne me Crispini serinia lippi  
Compilasse putes, verbum non amplius addam,

HORATIUS *Serm. I.* 2. v. 120.



tamen si postridie maculas illas in suspensi cadavere invenires, tunc e fune dissectos certe non in dorso, sed in pectore incubuere; ex Typho, Cholera Asiatica, caet. emortui, eundem adspectum, secundo post mortem die, praebere solent. (Conf. quae de maculis, operis fini subieci (FLEISCHMANN.)

Reluctante quamvis MORGAGNO (Ep. Anat. Med. XX) symptoma illud, plane fortuitum habendum censeo, quod in multis suspensorum cadaveribus sic et in non suspensorum offendimus, ergoque eo minoris pretii, quod dubia dimovere nequeat, si agigaretur quaestio, num quis vivus suspensus fuerit; maculae istae a mortis genere pendere videntur, non a lequeo. — In suspenso nuper Amstelodami publico supplicio damnato, secundo tantum die, maculae lividae videre erant, trunci partem posteriorem, sed prae aliis femoris utriusque, obsidentes. Quid de in omnibus scriptis agitato, faciei livido colore, dicendum? Respicere iuberem, quantopere iam vivi, faciei colore discrepant, respicere iuberem habitum apoplecticum dictum, plethoricum, venosum caet. Vita functum medicus legalis saepe viderit oporteret, dum inter vivos 2°. Saepe observavi cyanosin, quomocunque ortam, praesertim si iam per longum temporis spatium, lethalem ante exitum, exstiterit, plerumque in cadavere repetendam esse.

DE SUSPENSORUM FACIEI COLORE ET AURIUM. REMER (HENKE, Zeits. Jahrg. II, p. 68 seq.) alios suspensos pallentes, alios lividos facie, observavit. In primo casu Apoplexiam cerebralem, sanguineam saepe salutari affirmat, sed saepe quoque in secundo: „Wie es denn auch nicht gerade unerhört ist, dass Menschen, welche aus andern Gründen Apoplektisch sterben, eine blasse Gesichtsfarbe darbieten. Die Sache selbst ist es nicht, deren Bekanntschaft uns mangelt, es ist ihre Ursache von der wir nicht zureichend unterrichtet sind. FLEISCHMANN (c. l. p. 334) primo animadvertit, multos suspensos, qui pallentes e fune resecantur, postea livida facie offendi, quod sanguinis fluidi verum caput inter vehendum cadaveris, defluxui, tributam vult — notum enim est, hasce capitis collique venas, valvulis non gaudere — faciei colorem rubrocoeruleum, tunc modo obtinere existimat, ubi mors apoplectica, sanguinis refluxum sensim sensimque impediens, lento gradu pendulum corpus adgrediatur. Pallor, praesertim iam in corpore adhuc pendulo, si in facie sedit, mortis subitae, suffocativae, signum refert, ubi sanguinis refluxus, ad ipsum mortis introredientis temporis punctum usque obtinuerit, sed apud Apoplexia emortuos, dummodo mors ex cerebri vaso lacerato, subitoque sanguinis largo egressu, ortum deducat, „was bei einen vorhandenen schwachen Stelle eines solchen Gefäßes schon bei mässigem Blutandrang wodurch noch nicht alle Gefässe des Gesichts strotzend voll angefüllt werden, geschehen kann,“ facies pallida, saepe observari potest. Quod ad me — nimis „a priori“ effatus FLEISCHMANN visus est; doceat casus n°. 2 operis fini subiecta. Dunkle Färbung des Gesichts ist besonders bei solchen Erhängten konstant, die nach dem Tode mit abwärts geneigten Gesichte erstarrt sind (KRAHMER, o. l. p. 400.)

De auribus caeruleis verbum anaemia non faciendum. Inspice aures variis morbis mortuorum, dummodo anaemia non laborarunt, fere semper coeruleas invenies, si per aliquot tempus in dorso incubuere. In cadaveribus, tempore hiemali, semper aures coeruleas observavi. Palpe-



brae liventes et tumentes, ad arguendum nihil valent. Omnis ictus illatus ante mortem, sive lethalis sit nec ne, idem efficere potest. Si talis quis postea suspenderetur, facile laqueo tribueris quod vis nocentis cuiusdam externae; « iudicium fallax. » Aliquot mensibus abhinc observavi in victima puella, totius familiae caedis sola superstes, palpebram tantopere turgidam, ut oculus omnino opertus videretur. In lapsu caput afficiente, idem saepe occurrit: « par contrecoup » dicimus et, — quod apud criticum severum plus valet, — saepe non observatur, in cadaveribus ubi dubium moveri nequit, utrum suspensione ad vitae metam pervenerint; sic v. g. in suspenso de quo modo fuit sermo. Quid de *oris distorsione*? Referendum non existimo, organa, vita gaudentia, praesertim quoad synthesisin partium, vi elastica praedita esse. (De cerea enim flexilitate illa, prae aliis in Catalepsia, a recentioribus dubitatur;) Os itaque omnem torsionem post mortem sibi illatam, satis bene servat, quod saepe notavi. Ergo tractatio minus cauta, aut ubi corpus e fune resecatur aut deportetur, eodem effectu saepe non carebit; adde vim gravitatis, idem efficientem corpore per aliquot tempus, rigore cadaverico nondum oborto, in latere imposito; laqueus insuper, superiori colli parti infixus, — experimentum saepe iteravi — partes molles sursum torquens, fere semper alium aspectum ori imponet. Quod in vivis fit ut et in cadaveribus. VALSALVA oris distorsionem in strangulatis, convulsionibus adscribit, mortem subintransem praecuntibus — « se non è vero, è ben trovato » — multi enim suspensi, absque convulsionibus, supremam auram exspirant.

Perperam antiqui, ibi caedem accusarunt, ubi suspensi facies, summae anxietatis imaginem praerberet; ubi placidae tranquillitatis, ibi suicidium: non mirandum, iram, terrorem, cum interfectore luctam, « dem Tode Widerstand leistend, auch nach demselben noch sichtbar bleiben. Allein der Schluss — .... ist durchaus nicht allgemein richtig. Den Selbstmörder kann plötzlich Verzweiflung zum schnellen Tode führen, und der Ausdruck dieser wüthende Leidenschaft mit seinen Gesichtszügen erstarren; ihm kann im Todeskampfe eine Convulsion der Gesichtsmuskeln das Gesicht scheuderhaft verzerren, wenn er mit möglichst kaltem Blute zur Ausführung einer lange schon erwogenen, ihm nicht mehr fürchterlichen Entschlusses geschritten ist. Der Ermordete kann überfallen, und so plötzlich getödet seyn, dass selbst zum Erschrecken ihm keine Zeit übrig blieb, caet. » REMER (Henke, Zeits. Jahrg. II, p. 71.) Integrum magni viri textum laudare volui. Totius faciei « expression » ab ore incipit — hinc poëtae os = facies, ut « os humerosque Deo similis, » — hinc quae significare volui, oris descriptioni hic subici posse existimavi.

De *labiis coeruleis* graviter turgidis sermonem serens, operam et oleum perdidisse me crederem. Quod supra de colore exposui hic quoque valet. Id modo afferendum habeo, multo maiorem cadaverum numerum occurrere, labiis coeruleo colore tinctis, quam rubenti. Retrospectivamus quae de colore et de turgore sint exposita. Symptomata, speciali examini submissa, nihil indicant; simul sumta ex sanguinis vitio decursu v. g. impedito, laborantem, aut apoplexiae forma quadam vel asphyxiae, caet. accusarent. Facile attamen tunc quoque in errorem incidere possemus.



Morbi genus est cuius finis perpetuus, Mors: nusquam, ni fallor in codicibus, pathologiam specialem tractantibus, adcurate depictus, variorum nonnumquam vitiorum comes (semel albuminuriae semel cordis dextri vitio coniunctum, ipse ego, ipsum observavi) aut simplex lethifer veluti hostis adgressus, reliquis organis illaesis, (bis apud navitas robustos, quorum unus per sex mensium spatium non navigarat, alter vero, in alto mari, eodem malo iam fuerat affectus, morbum eundem salutavi.) Hisce morbis adnumerandus videtur, quos status Typhosi, Cholerae siccae, caet. nomine dicimus, ubi tubus intestinalis nullius laesionis, speciem prae se ferat. Leukaemiae ideam examen microscopicum reiicit, symptomata vero, scorbutum. Ad sanguinis dissolutionis universae, spontanae, cadaveris sectio potius nos adduceret, nekropsia, brevi licet post mortem sit instituta, odorem spargit molestissimum, foetidissimum, plane sui generis, maiorem quam quod naribus aegre sustineri queat. Post aliquot horas cadavera aut virescunt aut nigrescunt, facies tumet, brevi. — omnia nuper de suspensis relata symptomata, referunt; non ulterius procedam in morbi huiusce expositionem: dies venturi, ansam fortasse praebent, hocce argumentum, nota speciali quam dignissimum, iterum uberiusque adeundi, quod nunc, verbo tetigisse sufficiat: retuli quod cum argumento quadrare mihi visum est.

Suspensis cuiusdam quem, perscrutandi, postea data mihi fuit oportunitas, duodecim post mortem horas, paulisper tumebat facies, non livebat, aures profunde coeruleae, palpebrae paululum tumidae, non lividae; labia ut in omni cadavere; os paululum distortum: — sed ad quid haecce symptomatum enumeratio? suspensum vita durante numquam videram. Alius suspensus supplicio, morti traditus cui, durante suspensione, facies erat profunde livida, colorem normalem, sexta post mortem hora, ostendit. De maculis caeruleis, quae sequente die obortae fuerant, iam locutus sum.

LINGVAE CONDITIO. Linguae conditionem adeamus iam a temporibus, signum maximi momenti habitam. DE HAEN (Ratio med. vol IV, pag. 339, Ed. Lugd. Bat. 1775) hominis quadragenarii suspensi historiam referens, ubi totum systema venosum, sanguine scens inventit, iam addit. „Lingua non exserta, os firmissime clausum erat.” FLEISCHMANN, KLEIN, HINZE, REMER, pulchris adcuratisque observationibus passim in scripto periodico cui titulus HENKE, Zeitschr. prae omnibus vero ORFILA, praeclaris Nekropsiis luce clarius exposuere, sententiam hancce esse fallacem, instabilem et quam minime cum vero consentaneam. Recte hinc ORFILA (o. I. T. II, p. 408) in conclusione sua 14<sup>a</sup>, „la position de la langue présente assez de variétés pour qu'on ne la puisse faire valoir, que d'une manière fort secondaire, à résoudre la question proposée.” Adcuratius itaque rem adeundam diximus: perscrutandas habeo conditiones quibus efficiatur, ut lingua, protrusa inveniat.

1°. Quavis inspiratione, lingua aliquantulum retrahitur, in quovis exspirandi actu, paululum antrorsum ducitur, utriusque conditionis quantitas (hoegrootheid), recta ratione, sese habet, ad conamina ad spirandum (1).

(1) Beides im vermehrten Maass gedacht, was höchst wahrscheinlich auf die



Ab eo inde tempore quod animum huc attenderem, canum linguas „mobilitate vigentes” saepe observavi; dictum confirmatum inveni. Ipse me ipsum contemplatus, speculo praeposito, idem vidi: at — praecudicata opinio tunc fortassis pro me certavit. Duos apud aegrotantes (unus ex pneumonia acuta, alter ex pleuritide exsudativa, pulmone dextro retropulso, laboravit, qui continuo, aperto ore, spiritum vix ducebant), quisquis praeteriens, absque ullo praeformato iudicio, observare potuit, quid spirandi conamen in motus linguae valeret. Recte itaque FLEISCHMANN in supplemento operi supra laudato adiecto, protrusionem et linguae morsum, sequelam vocat, mortis sensim sensimque subintrantis, lentae et dolentis, expirationem saepius subsecutam; quum e contra mors praecipuus, novissimam inspirationem interrumpere solet.

2°. Pharynx compressus hominem ad vomendum ciet. Laqueus prae aliis cartilagineum Thyreoideam comprimens: „mediate” in Pharyngem reagit. Larynx, pharyngem premit, inde conamina ad vomendum; quamquam vomitus ipse, viis seclusis, locum non habeat: et quum motus inspiratorii expiratoriique, gravis vomitionis semper sint comites, non aliter fieri potest quin lingua, dictis sub n°. 1 patet, fortiter et antrorsum et retrorsum trahatur.

3°. Obiicienti motum respiratorium fieri non posse, Trachea, aeri impervia, experientiam magistram respicere suaderem, plane contrarium docentem, in morbis Anginae pectoris, Asthmae, Oedematis acuti, Peripneumoniae, caet: nomine insignitis. Inde forsitan quodammodo referendus effectus salutifer, variorum emeticorum in hisce morbis; impetum ad respirandum eo intensiorem videmus, quo minus scopum propositum assequi queat: „vitae spiraculis” non adaptatis „neque aut captare aut reddere auras.” Quo minor pulmonum capacitas, eo fortius reagunt et MM. Exspiratores et Inspiratores, quo fit ut multi suspensi deprehendantur, lingua referente signa data. Impetus actus respiratorii, non aeris intussuscepti copia, in linguae motum agit, qui motus crescit, ratione recta, ad Laryngis seclusionem.

4°. Symptomata itaque e lingua desumta, duranta vita tantum, ut ferunt, oriri queunt; ergo pretio habenda forent, dummodo in submersis, gasis nocentibus asphyctis, caet: idem phaenomenon non saepe salutandum esset, quo fit ut medico forensi, parum referat; aut submersus enim, aut asphyctus quis homo, postea suspendi potest, ut oriatur suspicio de sorte „manu quaesita”, ut LUCANUS eleganter.

5°. Casus tamen facile occurrent, ubi ex iuvantibus et nocentibus discerni posset, neque submersioni, neque asphyxiae, locum esse: tunc vero, — quod ostendere spero, — nonnumquam fieri potest, ut symptoma post mortem oriatur. Sic v. g. si „momentum” mechanicum, quod ut vivis sic et mortuis valaet, contemplor, de loco compresso desumtum; fune immediate sub osse hvoide premente, lingua protrudatur necesse est. Idem occurrit, minori licet gradu, pressionis vi, laryngem afficiente: quae tunc sursum et retrorsum simul recedit; os hvoides sursum et antrorsum, quippe cum larynge coniunctum, flectatur necesse est.

eine oder die andere Art bei sich selbst Erhängenden statt findet, kann jene Erscheinung bewirken. FLEISCHMANN (HENKE, Z. Jahrg. II, p. 335.)



Duorum cadaverum ora, paululum aperi, laqueum supremo quo potui loco, collo circumieci, cadavere supra dorsum incumbente; tractionibus secundum horizontalem directionem institutis, lingua sensim sensimque profundum situm reliquit; quo fortuis trahebam eo magis (1 vel 2 centim.) dentes supereminuit; tunc demum, cadavere suspenso, locum tenuit: experimentum institui reluctante gravitatis vi, ne laqueo adscriberem, quod gravitatis erat; fune sub larynge infixo, lingua minus sed tamen usque prominebat. Obiici posset, experimenti effectum valdopere differre, lingua si sit mollis, laxa, caet: qualis viventium; obiectioni quodammodo licet adnuens, tamen obvertendum haberem: 1°. Experimentum non facile iterandum esse in corpore vivo; 2°. Linguam viventibus quoque vulgo insidere dentibus: ipsius basi protrusa, tunc vivo, linguae substantiae pars remanet, cui in oris cavitate spatium non datum: facile itaque prae dentibus prominebit. Amico quodam teste (iudicis vox: testis unus, testis nullus, — hic sane reiicienda) experimentum iam ante, alium in finem, institueram: nuper de BELLOC legi, se, nonnullis annis abhinc, idem observasse. Laqueus supra cartilagine Thyreoideam, sic ait, infixus, linguam antrorsum ducere nequit, os enim hvoides tunc retrorsum pellitur: hoc modo verum habeo, si funis non „immediate“ sub osse hvoide premit: tunc enim linguam, oris cavitatem pro parte linqere, et testi et mihi patuit. Linguam rubram aut sub-caeruleam antrorsum protrudi, fune sub cartilagine Thyreoidea premente, et BELLOC et ego post illum videre. Moerens inter legendum, Sapientis verba „nil novi caet:“ mentem mihi subiere et cum Gallico poeta exclamavi—Si l'antiquité ne l'eût dit avant moi, — Je l'aurais dit avant elle.

Suspensus meus, linguae protrusae symptoma, pulcherrime ostendit; tumens illa et nigrescens dentes supereminebat, ipsam mordere aut dilacerare simulantes: laquei impressio in valle aderat, in inferiore tertia parte quaerenda, ubi utriusque cartilaginis Thyreoideae fit iunctio: totus larynx plane sursum ductus erat: alii suspenso (J. H. K....R.) lingua erat pallida dentibus adposita: angulares levem in ipsius substantiam liquerant impressionem. De hac quaestione haec satis dicta sunt. Conspicuum satis me fecisse spero, quanti facienda sint signa de lingua sumpta! (1)

OCULI. Transeamus ad symptomata, quae oculi referant vivorum suspensorum. Oculi semi aperti valde turgent: membranulae sanguine infectae sunt. De oculis semiapertis, supra iam indicatum est, quam generale sit signum: hic addendum modo habeo, contradictionis „in terminis“ dictae, exemplum quod passim apud antiquiores occurrit: universalis casus positio haec est; suspensio enecatos, oculos habere, semiopertos:

(1) REMER de vario, quod tenet lingua loco, locutus: „Es kann dieses, Werk des Zufalles seyn, und mit den Zufällen der Krankheit und des Todes aussen Zusammenhang stehen; es kann aber auch das Gegentheil statt finden; manche gerichtl. Arzte setzen einen grossen Werth darauf — obsie sich vollständig Rechenschaft ablegen können, wesshalb, weiss ich nicht zu entscheiden.... Ich finde diese Erscheinung auf welche zu achten nur wenige Obducenten versaumt haben (welche bis her sich damit begnügt haben, dieses Phänomen blos historisch anzuführen) unter allen Umständen, und bei allen Todesarten, bald vorhanden, bald fehlend. (HENKE Zeits. Jahrg. II, p. 69 seq.) Die Lage der Zunge, zwischen den Zähnen, kommt auch bei andern Todesarten vor — Conf. CASPAR, Denkwürdigkeiten. Berl. 1846. p. 81 seq.



legimus tamen apud GERMANNUM (De Mirac. mort. Tit. 5 § 7) omnes fere violenta morte extinctos oculos obtinere palpebris tectos: medio tutissimus ibis, idque verum videtur, suspensos nonnumquam deprehendi oculis et apertis et semiapertis et plane oclusis. DE HAEN (Rat. Med. Cont. 164) post experimentum in canibus institutum „liceat hic”, ait, „cum Morgagno advertere, quam parum vere a Germano dictum sit: duo exempla Morgagnus habuit semiclausorum, unum semiapertorum turgentiumque oculorum; in hoc cane ut patet et oculi apertissimi fuere et pupillae amplissimae”. Oculorum turgentia 1° apud multos, chorioideae congestione chronica laborantibus salutatur, relaxatis musculis bulbi; (caetera quid referam?) — agendum haberem de variis modis quibus fit exophthalmus et exophthalmia. Praeclare exophthalmiae exemplum, hyperthrophiae totius cordis coniunctum, nuper observari in Nosoc. Amstel. (Sectio VAN GEUNS) quae exophthalmia, ante annum oborta fuerat, eo ipso temporis puncto, quo aegrotans cordis vitium accusare coeperat. Si talis aegrotans suspenderetur, facile laquei effectum accusares. 2°. Omnes homines, quoad oculum praesertim inter sese differunt; mortuum itaque bene cognosce nos, oportet, dum inter vivos. 3°. Symptoma nimis fortasse ab animalibus in homines translatum est. Leporis v. g. Cuniculi suspensi, post aliquot scrupulorum vel horae „minutarum” spatium, oculos admodum turgentes vidimus, — orbitam quasi linquentes: sic fit ut quisvis Dianae miles, lepores, laquei ope captos, statim internoscat: brevi tamen post mortem, oculum, modo tumidum, detumescentem observari, res Dianae praedatoribus clandestinis (alias = „stroopers”) bene nota. Neque uterque autochir meus, oculos turgidos ostendit, neque alius miser, publice suspensus, de quo iam supra. In Tractatu quodam ab H. J. SCHOUTEN (1) conscripto, laurea quoque coronato, brevem synopsis continente, symptomatum, occurrentium apud suspensos, (p. 253) et apud varios auctores legi; vasa bulbi coniunctivaeque palpebrarum sanguifera, crebro sanguine scaterere. Summo iure ORFILA hocce symptoma ne verbo quidem tangit: MORGAGNUS (Ep. Anat. Med. XIX. Art. 8) in descriptione viri gracilis, consistentis aetatis, ob plura, et magna furta suspensi, „musculi — sic ait — et caetera oculis circumiecta a stagnante sanguine, quasi inflammata videbantur, tunica utraque retina, sanguineo erat colore suffusa.” Mihi non clarum, qui fieri posset, ut rubentem coniunctivam, aut sanguinis suffusionem, alicuius pretii symptoma quis habeat. Quid gelidi Boreae, penetrabile frigus, in tenerem oculum, praesertim aetate proveciorum, possit, satis notum. In omni gravi capitis laesione et palpebrae caeruleae et sanguinis in coniunctivam sugillatio, haud saepe desideratur. Crebro vidi in plethoricis, apoplexia cerebrale sanguinea, laborantibus. Stasi sanguinea in systemata venarum portarum orta, saepe hyperaemiae et extravasati sanguinis copiae, in chorioideae sphaera, venosa dicta, observabantur: inde nomine gaudebat — *Hepatis oculi*: quod HYRTL vero (Lehrb. d. Anat. d. M. § 203) affirmat: An der Stelle wo die Cornea in die Sklerotica

(1) Verhand. over de oorzaken, waarom drenkel. verst. en verhangen. cast: door H. J. SCHOUTEN, Med. Dr., met den gouden eereprijs bekroond door de Prov. Komm. van Geneesk. Toevoorz. te Amst. 1822.



übergeht, findet sich ein kreisförmiger venöser Sinus (Canalis Schlemmii) der namentlich bei Erhenkten von Blut strotzt —, experientia magistra, non cum vero consentaneum habendum, existimo. In tribus enim quos vidi suspensis, neque in variis quos suspendi animalibus, huiusmodi quid observare potui; multum denique abest quin sanguis ille extravasatus, omnem versus oculum sanguinis affluxum praenorem, tam facile subsequatur: suspensio cuniculo aut „improbo“ musculo, oculos usque intumescens ipsis, sanguinem vero suffusum, numquam vidi. Mus domesticus, vaporis aetheris sulfurici ope, asphyctus, eadem signa refert. Quid porro oculi inspectio ad diiudicandum valet: 1°. Ut ante quis forsitan, adverso vento, aut equitarit aut deambulatum exierit, aut ceciderit, aut vulnere vel ictu affectus fuerit, postea vero laqueo se suspenderit, quae omnia fieri possent. 2°. Ut nota haecce, specifica quamvis habita, raro in adcurata nekropsia occurrat. 4°. Ut medico-forensi parvi referat, utrum „vigiles sub fronte ministros“ sanguine suffectos inveniat, nec ne. Suspensus meus primus neque secundus, ullius sanguinis extravasati, aut iniectionis, ne vestigium quidem ostendit. Tertio (J. H. K.) in albugineae sinistrae parte externa, parva erat macula, sanguinis colorem referens, coniunctivae vasis tenerrimis paulisper sanguine iniectis.

**AURIS INTERNA.** Sagacem MORGAGNUM, solerti cura omnes cadaveris sectiones elaborantem, auris internae habitus non fugit. In casu, nuper memorato, alterius auris membranam tympani, cum adnexis ossiculis, sanguine tinctam invenit, alterius tympano ipso, levius quidem sed tamen solito maiorem, ostendente rubedinem: magni facere nequeo istud symptoma. In casu relato ne suspensionis quidem effectum illi tribui vellem: „praedo enim per intervalla,“ sunt verba Morgagni, „obnoxius fuerat spirandi difficultati, tussique molestae“ congestionem in totum caput, chronicam, facile inde oriri posse, notum. Viri suspensi primi, quem perscrutatus sum, qui fatis manum iniecerat, et narium et aurium mucosa, anaemia laborabat; crebra congestio certe, dum inter vivos, hic non adfuerat; a familiaribus enim didici, eum numquam antea, gravi morbo implicitum fuisse, numquam neque ex capite neque ex pulmonibus laborare solitum fuisse, et in castris BACCHI et VENERIS, nonnumquam quidem, sed parce et sine gloria militasse: J. H. K....r aures ostendit internas, rubedine quam minime tinctas.

Solo MORGAGNO, aurem internam inspiciendam monente, hocce criterium non huiusce articuli capiti praeiudicandum existimavi. Recentioribus observationibus firmatum iudicium, in tempus forsitan docebit, quid hac de re cogitandum sit; hucusque nemini certe, aliquid pretii illi impendere volupe erit; quod ad me saltem, hinc retuli dictum Morgagnianum, ne in mea domuncula, peregrinus hocce lapillus, frustra quaereretur.

**SPUMA CIRCUM OS ET NARES.** Jam abantiquissimis temporibus magni facta est spuma sanguinea, et nares et oris cavitatem implens, saepe supereminens. Mirandum est maiores huicce spumae, (Res ab antiquis, Michaelo Alberto tradita, qui eam intactam, posterioribus remisit) variorum morborum comiti, et ab iis, victimae, vita defunctae, saepe relictae, tantum tribuisse. (Colorem rubrum a quovis vulnere



aut linguae aut ori in ultimo vitae agone illato, originem sumere posse, monstram non opus est.)

Copiosiore sputam numquam observavi, quam in recentis caedis notae, atrocissimae, insontium victimarum tenerrima; prima post mortem nocte, circum os et nares tanta spumae copia oborta fuit et tamen, hic de suspensione sermo esse non potuit, tota calvaria perforata; si pendulam ipsam puellam deprehendisses, spumam certe laquei sequelae tribuisses. In suspensorum quos dissecti oris cavitate, exsanguis colore pallente, ne spumae vestigium quidem invenire potui. Innumeras fere necropsias commemorare non lubet, docentes, spumam illam crassam, cohaerentem, quae per os et nares exit, sunt verba SWIETENII, saepe frustra investigatam fuisse in vivis suspensis, de qua iam HIPPOCRATE (Aph. 43, Sect. II, Ed. Charter T. II, p. 22.) « qui strangulantur ac dissolvuntur (e laqueo) nondum tamen mortui sunt, ex iis non convalescunt, quibus circum os sputa oborta fuerit. » Aut si elegantior a CELSO versio, magis iuvat, « neque is ad vitam redit, qui ex suspendio, spumante ore, detractus est » (De Med. L. II, C. VIII. Extr.) (1) CL. GALENUS monuit iam in commentariis ad hunc locum nonnullos convaluisse quibus strangulatis, spuma circum os adparuerat; quibus verbis a SWIETEN (Comment. in H. BOERH. T. III, § 1010 p. 273. L. B. 1753) addit. « Plura observata hanc GALENI sententiam confirmarunt postea. » Centum annorum spatium, a SWIETENII temporibus elapsum, sententiam ipsius confirmat. « Opinione commenta delet dies, naturae iudicia confirmat » (Cic. De Nat. Deor. I, 30.) Multos itaque suspensos spumante ore deprehendi posse, plures autem non spumescentes, patet; saepe spuma circum os salutatur, variis licet modis cadaver sit emortuum: sic v. g. ORFILAE ingenio, per flexos aditus viam rectam indicari videmus, in iudicio notissimo, famosissimo (l'affaire DAUZATS.) ubi (Mem. de l'Acad. Roy. de Med. 1843, T. IX, p. 314 seq.) autochiriae suspicionem a suspensio patre amovit, monstrans crebram spumam, nihil esse praeter ius, ex Zea Mai paratum, a filio parricida, genu suo miserimi patris ventriculo inposito, ex oris cavitate eductum. Ergo vix tangit argumentum nostrum in Necropsiis suis.

**DIGITI LIVIDI IN PUGNUM CONTRACTI.** Lividos digitos post tot alia moriendi genera, pugnum facere videmus v. g. in Cholera, Suffocatione, Submersione mortuis caet. ut hocce symptoma verbo titigisse sufficiat, nihil valet ad dignoscendum; in pedis digitis, contrarium occurrit: notum enim est flexores in rigore mortis, extensoribus, contractili sua vi, praecellere, quod manus, (digiti inflexi pollicem, volam manus spectantem, plane obtegunt) extensores e contra, flexoribus, quod pedes attinet.

**GENITALIA ORGANA.** Quod de genitalibus dicendum, accuratius tractare iuvat; per media tela illaesus transire cupio, et ab ORFILA et

(1) On ne saurait trop répéter, qu'il faut avoir une admiration éclairée, et non une déference aveugle, pour le nom et les ouvrages d'HIPPOCRATE. La strangulation avec écume à la bouche n'est pas toujours mortelle; quoique le père de la Médecine le déclare. Un grand nombre de faits observés à Vienne en Autriche et à Paris démentent cet Aphorisme.

PH. PINEL, o. l. pag. 234. T. III. (Conf. scriptores, ibi laudati.)



a DEVERGIE, variis locis, in scriptis „Annales d'Hygiène” dictis, invicem in se inmissa. De colore (quisnam sit scroto, praeputio, glandi labiis caet. suspensorum?) sermo non serendus videtur. Cuicumque enim in laboratorio anatomico, praesertim calida aestate, cadavera inspiciendi saepe data sit opportunitas, sanguine scatentia, „membris et mole valentia,” recte diiudicare poterit, num e genitalium colore, dilucere quid queat. Recordantis enim menti, variegati mutones variique coloris et glandes et scrota obviam procedunt: videt negrescentes, videt coeruleos, videt rubentes, videt lividos, videt albicantes, et tamen laquei ne umbra quidem, horum cadaverum collum unquam circumdedit. Symptoma observavi enormi trium corporum cavernosorum turgescientiae coniunctum, in duobus cadaveribus, sanguinis ista dissolutione, de qua supra, fati correptis; idem vidi apud virum nuper medullae spinalis laesione vita functum, qui post de tecto lapsum, miserrimae minimaeque vitae scintillam qualemcunque, in aliquot dies tamen excitarat. Suspensorum, quos vidi, primi, penis, duodecima post mortem hora, rubri non erat coloris; me mentulam, tertio a morte die, rubram aut coeruleam invenisse, factum illud notum, modo affirmare posset, dissolutionem generalem, plerumque genitalia primum adgredi. In I. H. K...r (2½ post mortem hora,) penem vidi, paulisper turgidum, quae tumescencia postea plane evanuerat; glandis ea pars, quae a praeputio non tecta erat, profundam tunc ostendit rubedinem vel potius colorem violaceum. Eorum qui ample locuti sint de certo criterio, ad diiudicandum num quis vivus suspensus fuerit, princeps DEVERGIE: sperma — sic ait — adest in urethra, penis ostenditur aut tensus aut turgidus. Inquirere quisnam sit qui primus hanc quaestionem moverit, non locus non tempus sinent. ORFILA, A. D. 1839, Mens. Jul. 16, memoriam protulit (Acad. Roy. de Med.) quibus litteris DEVERGIE, in Annalibus „d'Hygiène” responsum dedit, quo factum est ut „amarae proelia linguae” illuc transferentur.

ORFILA quaestionem sibi posuit, num fila spermatica in urethra inventa, (genitalibus turgentibus, nec ne,) vivum suspensum denotent; Quod recte negat quam pertinacissime: singula enim seminis eiaculatio, urethrae nonnulla fila spermatica relinquit, dummodo ab urina non abluantur. In cuiusvis itaque viri urethra, aut vulnere aut damno quodam, ad vitae terminum adducti, facile, post seminis emissionem quandam, fila haecce invenires. In quinque cadaveribus qui dorso incubuere, ORFILA semper sperma in urethra praesens deprehendit; in duobus Phthisi emortuis, in duobus Typhoso morbo, desiderabantur; quod forsitan sic explicari posset, alterutri morbo succumbentes, saepe in ultimo vitae stadio, urinae excretionem involuntaria laborare; continuo itaque semen abstergitur. Quatuor cadavera porro suspendit ORFILA. Virum iuvenem nempe, 20 annos natum, septima a morte hora, Phthisicum 50 annorum, quarta, post mortem hora; virum circiter quinquagenarium, tertia mortis hora; virum quadraginta et novem annorum, qui hypertrophia cordis laborarat 5<sup>a</sup> post mortem hora. Penis suspensi, sub n°. 1 insigniti, plane rubri aut profunde caerulei erat coloris, et loco ante signato, 15 millimetros circuitu auctus. In secundi scroto, vasa fortiter sanguine iniecta, videre erant. Penis, loco dato, unius centimetri spatium, extensus erat, guttalamque emiserat



liquoris, florum seminalium mortuorum, sit venia verbo, refertam. In tertio suspenso coloris mutatio, octava post mortem hora, obtinuerat; valde turgebat, semenque adeo copiosum effusum erat, ut Professore DONNÉ sufficeret, moventia fila spermatica, auditoribus ostendere cupienti. In quarto, hora tertia et dimidiata nondum elapsa et color omnino inmutatus erat, et turgor duos centimetros metiebatur; quod vero magis mirandum, — penis plane tensus, erectum caput alte ferebat; nihil addendum habeo; et quum variis experimentis a me ipso institutis, mihi persuasum sit, semen plerumque in urethris virilibus adesse, suspensiones, ab ORFILA factas, ne iterandas quidem existimavi. Signum itaque a DEVERGIE quondam indicatum, locum suum spero fore ut teneat inter symptomatum ordinem supra allatorum, de quibus indicasse sufficiat quantopere candidam veritatem increpent. Signum illud, ob securitatem quam in re difficili adferret, forenso medicorum gregi statim arrisit, et licet hisce diebus plurimi, qui rem forensem agant, experientia docti, notam illam fallacem esse norint, multi tamen patrociniū, signo nondum detraxere. «Vitia quae placet vituperantur abunde, vitantur numquam» (SENECA). Utriusque quem vidi suspensi penis, non erat erectus, paulisper tantum turgescibat, ut iam dictum. In urethra unius, quam modo tertio post mortem die inspicere concedebatur, passim tantum, rarorum filorum residua dispersa, oculo armato obviam venire visa sunt; huius vero vestes, semen emissum non ostendere; alius e contra, eiecto semine, passim maderant; urethrae inspectione hinc non opus esse duxi.

FREDERICO RUYSCHIO notum erat veretri tentiginem, post mortem oriri posse; in Thesauro Anatomico decimo (sub n°. XCV) legimus: «cum olim interrogarer a quodam Dn°, qui in castris versatus erat, quae causa esset eius erectionis in demortuis, rationem veram dare non potui; iam vero illud vidi in cadavere cuiusdam viri, violenta morte cultro occisi, cuius cadavere, ad putredinem et fermentationem redacto, membrum virile erectum invenimus»: non facio cum Ruychio, putredinem et «humorum fermentationem» erectionis «rationem» vocante; sufficiat illi iam cognitum fuisse, penem saepe, absque laqueo, collo circumiecto, erigi posse. MORGAGNUS (E. I. art. 20) suspensum iuvenem circumspiciens, sexta circiter a morte hora dissectum, tensum adhuc penem invenit; de dissolutione, mortis sequela, sermo certe esse nequit; addit ergo: «a putredine maxime aberat et frigidissima tempestas erat» ORFILA, si iam vixisset, docere eum potuisset, symptoma generale cadavericum, nunc adesse potuisse (sex horis post mortem elapsis). Perperam quoque I. LANCISIUS (de subit: mortibus) «perseverantem post mortem penis tensionem, raro in strangulatis non inveni.» Cadaverum sectionibus perlectis, solerti cura depictis, fida veritas sensim sensimque in lucem prodit. Apud auctorem qui saepe inter ingenii copiam, multa minus vera «gratae posteritati» tradidit, quapropter recentioris forsitan eum paulisper repudiaverunt, bene meritorum nimis oblitus, PAULUM ZACCHIAM specto, (Quaest. med. leg. Lugd. 1726) apud ZACCHIAM inquam, legi (L. V. T. II, Quast. XI, sub n°. 5) «adnotatum est, virile membrum in hisce (=vivis suspensis)



aliquando erigi ac tendi forte, et seminis eiaculationem contingere interdum; non est absurdum, nam et hanc in epilepticis fieri, notum est."

Sequitur adumbratio tempori quo scripsit conveniens; sed vox illa "aliquando" nescio quid, mirum sonat; et seminis eiaculationem in epilepticis quoque occurrere, argumentationem simul denudat. In responsum, datum quaestioni, sub n<sup>o</sup>. 4 positae, num vivus adhuc aut iam mortuus, aliquis suspensus fuerit? subeat, amice Lector, novi signi inventi, centum annis post, clara voce, a DEVERGIE sibi expositulata "prioritas" (verba valent usu.) Ante oculos illi ponere iuaret locos ex renunciationibus AMBROSII PARÉ, ex FORTUNATO FIDELI, aliisque idem docentes. BOHN (Renunc. vuln. lethal. p. 144, Dissert. "de vivis mortuisve suspensis") — "Tentiginem veretri cum seminis et urinae emissionem, frequentius strangulationis symptoma vocat." HEBENSTREIT. (Anthropologia forensis.) post symptomatum enumerationem, docentem, vivo funem fuisse circumiectum, prudenter addit: "quibus alii tentiginem mentulae et urinae et faecum expulsionem addunt." Amplioris rei expositionis cupidus, LENTILUM inspiciat (Eteodr.: "an autochir fuerit examen" LOUIS (Mémoire sur une question anatomique pour distinguer les suites du suicide de celles de l'Assassinat, Paris 1767) aliorumque auctorum legionem, quorum nomina sciens omittam; neque enim Lector, opera indicata inspicere solet, neque ego omnia referre queo. Scriptorum quos loquentes feci, ultimus sit GUYON, supra dicta, experimentis suis firmans. (Revue Méd. Sept. 1823 vel S. GERSON, Magaz. d. Ausl. med. litt. 1824). Quatuordecim suspensorum, prima post mortem hora, in novem mentulam erectam, emisso semine, invenit: in duobus aliquid huiusce generis, in tribus nihil huiusmodi vidit (1). Hisce perlectis, nemo, ni fallor, DEVERGIE salutabit criterii, certi inventorem, effati non fallacis, auctorem. HINZE — (Fragm. über d. Tod. d. Erh. — HENKE, Zeitschr. f. St. A. W. Jahrg. 4) — iam affirmat, se apud illos suspensos tantum, observasse semen eiaculatum erectioni coniunctum — "qui asphycti perierant:" sic verumtamen criterio praecipuum fulcrum abit, ubi certatur de autochiria. Interfectorem enim victimam saepe prius strangulasse, mox suspendisse, notum est). Procedamus et videamus num erectionis symptoma, aliunde quoque oriatur. In cane acido carbonico suffocato, mentulam erectam quondam observavi. ZACCHIAE dictum, erectionem in epilepsia notans, iam retuli: de priapismo, parva sanguinis depletionem corporum cavernosorum, saepe sanato, non loquor. HENLE (Rat. Path. Bd. II. Spec. Th. p. 327) priapismi causam, accusat medullae spinalis iritationem aut congestionem, genitalium turgoris saepe comitem, ut et atrophia medullaris impotentiam saepe concomitat. VALSALVA a se observatum narrare solebat, quod, vineta in vivis canibus utraque carotide, tenso illos fuisse pene, ut refert MORGAGNUS, qui phaenomenon recte, quod ad me, e legibus hydrostaticis divulgatum vult, i. e. san-

(1) Conf. CASPAR, — Wochenschr. 1837, n<sup>o</sup>. 1, 2, 3. — Suspensorum n<sup>o</sup>. 77, in novem et decem tantum, penem erectum invenit, emisso semine — CASPAR existimat liquorem prostaticum, huius modi in casu, pro virili parte pro semine ipso, habitum fuisse. REMER (HENKE, Zeits. Jahrg. II, p. 54): "Das Verhältniss derer (scil: triginta quinque virorum) welche eine Wirkung der Strangulation auf dieselben (Genitalia) darboten, zu denen wo diese fehlte, ist = 3 : 4.



guinis ad intimum locum minoris resistentiae defluxu; accusat enim MORGAGNUS copiam sanguinis, in suspensio corpore deorsum labentis, eoque maiorem, quod ultimis cordis pulsationibus, tanto plus sanguinis in arterias inferiores inmittatur, quanto minus, ob constrictum a laqueo collum, in superiores contrudi possit. HENLE affert, „Turgorem centralem-indirectum-atonicum,” (= sesquipedalia verba?) corporum cavernosorum, systematis muscularis, paralysis. At nerveae irritationis effectus etiam post mortem aliquantulum persistere potest. BARTH. LUD. TRALLES, qui saeculi novissimi media parte, longum opus de Opio conscripsit (Usus Opii salubris et noxius. Vratisl. A. D. 1757) passim exempla refert, docentia, quantopere Veneris scintillae nonnumquam, Opii parva dosi sumpta, adflari soleant. Antiquus Chronicarum scriptor quidam, Constantinopolin oppugnata (a II° MAHOMED. A. D. 1453) describens, octingentos Turcos memorat, qui ancipitis pugnae fervorem, Opio stimulante, sibi excitare conati, post urbem captam, corporibus suis, moenia circumvallarunt, et quamvis vulnere lethali affecti, omnes post mortem attamen „mentulas erectas tulere:” de variis remediis excitantium nomine dictis, quam plurima, mirabilia dictu, afferuntur; „cum scroti membrana cellolosa, continua sit per totum corpus, ratio est quare homines, tempore aestivo (magna strage facta in bello), occisi, et supra dorsum decumbentes, intra viginti quatuor horas, saepissime penem habeant erectum” (RUYSCH, Thes. X. p. 22). Turcorum fortuna adversa hisce diebus si tristi clade iteraretur, et DEVERGIE horum funeribus si adduceretur, nihil forsitan notaret, praeter octingentos, octingentorum laqueorum effectus! Notatu digna sunt verba KLEIN (HUFEL. Journ. Nov. 1816. p. 44) qui in centurione quinquagenario, qui sibi faciem plane destruxerat, pulveris tormentarii ictu, sequente die „sehr starke Erection” observavit. „Bei Erhängten, wo sie so häufig seyn sollte, sahe ich sie nie, noch weniger Spuren einer gehabten Saamenergiessung. Nur einmal bei einem Geräderten, vielleicht weil man ihn zugleich erdrosselte?” SCHLEGEL (RUST Magaz. B 34 p. 103), iuvenis, de turri deiecti, cranium, disruptum invenit et semen eiaculatum. MERTZDORFF (HORN’s Archiv. 1823. Hf. IV, p. 55) penem semi erectum, emisso semine, contemplatus est in viro, acidi Hydrocyanici ope, venenato. Viri pulveris tormentarii ictu enecati, cuius Art. Aorta desc. vasaque renalia, disrupta inveniebantur, sperma eiaculatum observavit REMER. (HENKE’s Zeitschr. Jahrg. 2. p. 54). „Yet a parting-word.” Brevis epicrisis finem faciat. Promiscue locutus sum de erectione et de eiaculatione: saepe enim utraque absque limite, in aliam procedit; in utraque, symptoma salutavimus, mortem saepe subsequens saepe praegrediens, nullius itaque pretii faciendum in iudicio de suspensis. Post proelium ab ORFILA et DEVERGIE proeliatum, OLIVIER (d’Angers) experimenta sua instituit, et (Ann. d’Hygiène, T. XXIV. p. 314) clarius ostendit et spermatis emissae copiam, et partium genitalium turgorem, ratione directa constare ad tempus, per quod suspendium perduraverit. Adde denique duas adnotationes, gravissimam fallor momenti, qui totum argumentum a sede movere possent. Notae specificae Eloquentia tacet, si criminis in pueros, in tenellos commissi; silet, si cladis in iuvenes impuberes, in filias nondum menstruatas, caet; oritur suspicio. De pretio numeris arithmetici tri-



buendo in casu speciali, in prolegomenis satis ample dixi. In casu, numerorum vi indigerem, si, "ex ipsissima rerum entitate" ut dicunt Philosophi, cuicumque non pateret, potioris sexus numerum suspensorum, sequoris, vasto agmine, superare. DEVERGIE itaque magno, in dignoscendo criterio, careret, si mulieres suspensas offenderet, quae, quamvis non crebrae, tamen interdum, suspensae deprehendantur. Paucis mensibus abhinc, vetulae cuiusdam autopsiae adstiti, quae celeberrimum BONN, deformitatis, iam praeconem invenerat; membranula mucosa in quam ureteres effluabant cutis loco, infimo ventri praeposita, vesicam urinariam dissimulabat. Miserrimae mulieri, quae ollae insidens, per multos annos miserrimam vitam, in nosocomio Amstelodamensi vixerat, ossium pubis synchondrosis, aliquot centimetrorum spatium, a sese invicem distabat; hinc et Ischii tubera iusto maius a sese remota; vidi corpora cavernosa muliebria, vere gigantea, et tamen ex omni iudice, rei perito, quaevisse iuaret, utrum erecta essent illa corpora, nec ne. BUTNER (RUST' Magaz. B. XVIII. Ht. 3) suspensae uterum commemorat, sanguine scatentem, qui pro parte iam defluerat; KLOSE (System der Gerichtl. Physik, S. 425) idem observasse se, testatur. Mulieri de qua ESQUIROL (vide supra,) sanguis aderat in ovario dextro. OTTO (Neue Seltene Beob. z. Anat. Phys. u. Path. Berl. 1824. S. 127) invenisse se affirmat vasa, genitalium cum externorum tum internorum, sanguine referta, in congestione, activa dicta, versantia, sero sub telam cellularem suffuso; in quatuor labiis sanguinem effusum deprehendit; vidit varices, clitoridem magnam, profunde caeruleam, vaginam rubram, uteri portionem vaginalem turgescens, ostio adaperto, tubas rubentes et turgentes, fimbriis ad ovaria adpositis, ipsa ovaria sanguine scatentia, cruore passim in ipsis extravasato: sed quid morer? Omnes nihil invenere praeter quae iam ante saecula, a REALDO COLUMBO observata fuere, qui rem adumbratione illustrat, vera, ni fallor, et ab auctoritatibus modo memoratis, nimis praetermissa, fortasse ab iis non cognita. Dicit nempe COLUMBUS (De re Anat. Lib. VI) "se ab instantibus menstruis in suspensa muliere haec phaenomena repetere, videlicet, venas, vaginam adeuntes, insignes fuisse et nigerrimas." — Brevi, — cavendum ne in quavis suspensa, menstruatione durante, aut incipiente, aut cessante, (praetero graviditatem ubi abnormis, versus partes sexuales, sanguinis fit adfluxus) laqueo adscribas, quod menstruationis est. Invertere possem ab OTTO dictis, verba sua exponentia quam facile quis mortuus suspendi potest "Fälle, die doch nicht ganz so selten, als man meint, vorzukommen scheinen, (l. p. 128) — et porro, — auch muss man sich wohl hüten, alle Congestionserscheinungen in den Genitalien, wenn si auch nicht mit einem der erwähnten anderen Zustände in Verbindung zu stehen scheinen, bei erhängten Frauenzimmern für Folgen des Todes durch den Strang zu halten, da si auch eben so gut, bei dem innigen Zusammenhange des Sexualsystems mit dem Nervensystem, die Ursache des Selbstmordes gewesen sein können" (S. 129). Caeterum verumtamen, opus conscripsit, ex septemdecim casuum sive cadaveris sectionibus constructum, dignissimum quod manibus usque teratur. CASPAR (o. l.) viginti et novem mulierum, suspensarum, unam tantum vidit, cum "eine Andeutung von einer Turgescenz nach dem Genitalien." REMER (l. l. p. 55) singulam obser-



vationem scriptis mandavit. Numquam viri prudentis fama, tantopere periclitatur, sic puto, quam si seminis eiaculati, urinae et faecis vestigia, certum criterium haberi vellet. Licet extrinsecus admota adesse possent, ne dirae caedis suspicio oriatur, quod non rarum, etiam mortis agoni, et faecis et urinae emissio involuntaria, saepe accedit.

Trium excretorum ne vestigium quidem in suspensorum quem vidi primo invenire potui, et tractus intestinalis verumtamen faecibus; vesica, urinâ, impleta erat; secundi vero cadaveris quod inspiciendum tantum datum erat, vestes urinâ inmadebant; tertii vestis infima, liquore spermatico recenti, suffusa erat. Ex variis variorum scriptorum allatis patet, saepius accidere ut laqueus tali effectu careat, quam quidem gaudeat; sic v. c.; iam FORTUNATUS FIDELIS (L. IV) "urina sese aliquando perfundere eos qui vivi suspensi fuerint," adfirmat. Forsan id quod fere semper in animalibus suspensis, praesertim in cuniculis obtinet, in homines translatum est. In cuniculis enim, dum aliquid temporis suspensi terant, semper ut urinam et faeces, defluentes observavi; qui mecum experimentis adstabant, se idem semper notasse affirmabant; in mure domestico, idem semper observavi; hoc autem in brutis animalibus; numquid idem in animale sagaci offenditur? Non crediderim. Perperam igitur DE HAEN (Rat. med. contin. p. 168. Ed. Lugd. Bat. 1775) suspensi a BONETO accurate depicti, anatomen referens, "ut ovum ovo consimilis, haec suspensi hominis anatome, est nostrae brutorum." Idem saepe posthaec a me repetendum erit, ubi de vertebrarum luxatione agendum habeo. De prolapsu recti, vaginae, uteri, aliarumve tractus intestinalis partium, laquei collo circumiecti effectu, verba non faciam. Antiquiores auctores rem tractant; recentiores argumentum et signum praetereunt. Hic forsân de scelesto viro quaedam quaereres, de quo in Codice, ab ERASMO: — "that great injur 'd name,

*The glory of the Priesthood, and the schame!*" (POPE, Essay on Crit. v. 693) vero nomine insignito:

Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque,  
Invenit et pariter, dogmata quisque sua. —

IUDAM ISCARIOTA specto. Nimia cum iracundia, acerbe de loci interpretatione certatum, inter JACOBUM GRONOVIVM et JAC. PERIZONIUM. "Non semper et usquequaque, cultores suos humanos reddunt, litterae humaniores!" (MEAD). Ediderat enim PERIZONIUS, "AELIANI varias historias," ubi in Adnotatione, verbi ἀπάγχουσαι (conf. Lib. V, c. 8. ubi vox illa ab AELIANO usurpata occurrit, ubi de POLIAGRO loquitur. — "SOCRATES quum in comoedia proscinderetur, ridebat, POLIAGRUS vero ἀπήξατο.") significationem, quo mortem JUDAE commemorans, utitur Div. MATTHAEUS, (cap. XXVII, vs. 5) diligenter excutit; contendit nempe hanc vocem non tantum strangulationem quae laqueo fit, sed etiam summum animi dolorem, quo quis ad mortem fere premitur, nonnumquam denotare; quod GRONOVIVS, qui in libello, JUDAM suspendio voluntario, vitam suam finivisse dixerat, (conf. JAC. GRONOVIVS, Diss. de Morte JUDAE. Lugd. Bat. 1702,) quum aegre ferret, stilum mox strinxit, adversarii rationes convellens. Div. MATTHAEUS nihil dicit praeter ἀπήξατο (C. 27. v. 5); LUCAS autem uberius (Act. Apost. cap. I, vs. 18) καὶ πρηνὴς γενόμενος, ἐλάκησε μέσος, καὶ



ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, i. e. «et praeceps factus crepuit medius, et effusa sunt eius omnia viscera.» Si vox ἀπάγχεσθαι, nihil significat quam «strangulationem quae laqueo fit» minime secum concordare videntur duo Evangelistae. Hinc iam CASAUBONUS: «JUDAM se suspendisse sed laqueo rupto decidisse in praeceps» contendit. Hinc PERIZONIUS per vocem hanc, et suffocationem et summum animi dolorem, denotari vult, quo vehementer oppressi, mortem, sibi haud raro consciscant. «Strangulat inclusus dolor;» OVID. Quam plurimis exemplis, ex antiquis auctoribus allatis, hoc demonstravit PERIZONIUS (Respons. duas ad JAC. GRONOVIVM, Lugd. Bat.). Prolixe quoque ostendit locutionem «πρηνῆς γενόμενος,» tam de illo qui «sponte sua se praecipitem dat,» quam qui «casu aliquo pronus decidit,» adhiberi posse. Acerbam illam rixam ex iis quae MATTHAEUS, cum iis quae LUCAS, aut apud eum DIV. PETRUS exposuit, hoc pacto conciliari posse existimavit, RICHARDUS MEAD (1). «Proditor iste... mox moerore animique desperatione correptus, aut vertigine captus (quod in eiusmodi aegritudine saepe evenit) ex alto cecidit pronus; aut quod probabilius videtur, ultro se praecipitavit; et illiso forte ad saxum aliquod, vel arboris truncum, corpore, effusus visceribus, mortuus iacuit. MATTHAEUS itaque animi angorem, qui ipsum ad mortem sibi inferendam adegerat, declaravit. LUCAS vero diserte ac proprie necis illius modum definivit.» Conf. Opera Omn. T. II, Medica sacra, p. 63. Ed. Par. 1757. Se non è vero, è ben trovato!

Alii antiqui auctores qui de variis prolapsus generibus, laquei effectus, scripsere, Judae mortem facile huc retulerint; quid vero de hacce sit cogitandum, praeiecta divigatio etymologica docuit; quod ad me; fontes lutosiores, tempusque paulisper remotius videntur, quam ut semel eluceat quid veri insit. Prolapsus non suspensionis symptoma haberi potest; quod de medicamentis:—*post hoc, ergo propter hoc*;— et de laqueo valet.

LAQUEI IN COLLO VESTIGIVM. Ad omnium notarum maxime specificam pervenimus, quam lento gradu circumeamus oportet. De laquei in collo vestigio, dicendum habeo. Plurimis notis commemoratis, supra indicatis, FORTUNATUS FIDELIS, operis fini subiicit «eadem signa observare licebit in iis, quibus quoquo modo per vim spiritus intercluditur, exceptis vestigiis illis quae a fune vel laqueo relinqui diximus, quando ex eius vi quis suffocatur.» In PAULO ZACCHIA, qui (o. l. l. c. n°. 6) a FORTUNATO dictis relatis, mox addit; «ego vero rationi consonum existimo, non ita tumeferi partes, circa collum et guttur,» clariorem rei intelligentiam salutarem, nisi sequentia a se addita legeremus: «At ubi quis iam mortuus fuerit suspensus, neque funis seu cuiuscunque laquei generis vestigium ullum, circa collum adparebit, neque caetera quae memorata sunt, conspicua fient;» quae verba minime cum supra dictis quadrant; res eo gravioris momenti, quo lucidius inde pateat, a ZACCHIA numquam experimenta in hanc finem esse instituta; diversum quid certe post experimenta scripsisset.

(1) JUDAM sibi mortem conscivisse, constans fuit fama et vera; quo genere mortis periisset, incertum habebatur. Nihil de praecipitio MATTHAEUS, nihil de suspendio LUCAS. Alii praecipitio, alii suspendio extinctum, tradiderunt. —



Magni tamen viri, totius status Ecclesiastici, Protomedici, tantopere valebat auctoritas, ut, id quod saepe fieri soleat, ab eius inde tempore in fere omnibus scriptis, rem medico-legalem tractantibus, mutatis verbis, idem inveniatur: et laicis, et omnibus in hisce studiis delectationem quaerentibus (= dilettantem), sensim ZACCHIAE sententia magis magisque innotuit, quo fit ut hodie, in cadaveribus suspensis, caeruleam striam effici non posse, apud plurimos valeat opinio; ORFILA nimis urbanus visus, dicens (o. l. T. II, p. 371): „Je puis assurer, qu'il y aurait plus que de l'imprudence, a considérer les altérations, de la région du col, lorsqu'elles existent chez des individus pendus, même de leur vivant, comme ayant été constamment produites avant la mort." DANIEL primus indicavit: „das eine Ecchymose in der Strangrinne nicht immer, sondern nur zuweilen, bei Erhängten vorkomme." In Annalibus „d'Hygiène et de Med. leg." dictis (Oct. 1830) legimus quid REMER invenerit in centum suspensis; in octaginta et septem, in tela subcutanea ecchymosis occurrebat, quae nonnumquam musculos subiacentes circumfundebat; licet quae a KLEIN, FLEISCHMANN (Ann. d'Hyg. Oct. 32). ESQUIROL, caet; observata fuere, cum REMER quadrare non videantur: v. g. ORFILA, (o. l. T. II. p. 365) „j'ai vu en effet beaucoup plus de cas sans aucune trace d'Ecchymose au col, qu'avec Ecchymose;" adparet verumtamen notam illam in vivis suspensis offendi, quod sufficit.

Tria sunt in collo loca in quibus salutatur 1°. Laryngem inter et os hvoides (secundum REMER, casuum quadraginta et septem, trecies octies. 2°. In ipsa Larynge (septies-REM.) 3°. Infra Laryngem (bis-REM.)

In primo, quem dissecui, suspensio, ad cartilaginis Thyreoideae partem sinistram eamque posticam, sanguinem satis copiosum, suffusum inveni. Caput haerentis quodammodo dextrorsum spectasse necesse est; hinc posterior sanguinis effusi situs eluceat. In secundo (J. H. K....R) sanguinem extravasatum, sive ecchymosin, cartilaginis substantiae insitam, inveni; eamque tantum vidi in parte dextra externa: in parte interna laryngis, nihil huiusmodi observare potui: (videantur porro, quae de huiusce cadaveris larynge, notatu dignissima sint, in ipsius historia, fini operis subiecta.) Patet igitur sanguinem suffusum, non raro in vivis suspensis occurrere. Minus recta opinio a MERTZDORFF quondam edita, „Er habe nie eigentliches Blutextravasat im Zellgewebe der Strangrinne gefunden:" at, — totidem observationes litteris mandata inveni, ubi ne sugillationis vestigium quidem aderat: ORFILA respicere iubet suspensorum habitum: num pallido vel anaemico aspectu doleant: de quibus affirmat, eos saepe sanguinis effusione carere. KLEIN (HUFEL. Journ. 1816, Nov. p. 21, seq.) casus quosdam suspensionis refert, novos, ubi sugillatio plane aberat et variorum huiusce generis casuum antea a se observatorum, mentionem facit. In eodem opere (1819. Febr. p. 79 seq.) Dr. HINZE, medicus Waldenburgensis, exempla, a KLEIN edita, novis auxit (1). FLEISCHMANN (Annales 1832) quatuor casus memorat, quibus plures a se subici posse, adfirmat. Es-

(1) Von allen Zeichen, welche an den Leichnamen der Selbstmörder durch den Strang bemerkt werden, sind die Sugillationen am Halse wo das erdrosselnde Werkzeug gelegen hatte, die unbeständigsten. HINZE (HENKE's Zeits. Jahrg. IV. Hft. 1.)



QUIROL (Archives gén. d. Med. Janv. 1823.) quatuor novos casus adfert; ORFILA octo (Med. lég. Ed. 2<sup>a</sup>). Apud CL. G. VROLIK, sectionem referentem, viri suspensi, memorabilia verba lego: Er was nergens bloed uit de vaten overgegaan in het celweefsel. (DEN TEX en v. HALL, Bijdragen caet. 1837, p. 364.) CASPAR (o. l.) in 71 quae dissecuit cadaveribus semel et vicies tantum, veram ecchymosin observavit: id est relatione 3½ : 1, sugillationem vidit. Conf. porro KOPF. X St. S. 362. SCHALLGRUBER, Auss. u. Beob. a. d. gericht. A. W. S. 94 GUNTHER. Henke, Zeits. I, 4 S. 262 caet (1): Sequeretur, mortem aut suspendio aut strangulatione allatam, ibi esse accusandam, ubi ecchymosis adforet: minime verumtamen ad mortem, suspensione accessitam, concludendum videtur, quoniam facile idem contingeret, si alius ab alio strangulatus, tunc demum suspensus fuerit: caeterum, — ubi ecchymosis non adest, ibi „inextricabilis error,” — si invenitur, eadem nebulâ iudicium obtegatur. Experimenta enim exstant, quae Ds. CHRISTISON (Ann. d'Hyg. Juillet, 1829) quondam sub lucem misit, prima secundaque hora dimidiata, post-mortem, in muliere triginta annos nata, instituta. Varias corporis regiones, prae caeteris collum, fuste graviter illi verberabat: cadaveris sectione vero, trigesima quinta, post mortem hora habita, vidit: „des ecchymoses au cou d'une, teinte aussi pensée que si les blessures eussent été faites pendant la vie: le tissu cellulaire sousjacent était ça et là infiltré d'une grande quantité de sang fluide et noir; de chaque coté des regions cervicale et dorsale de l'épine, entre le milieu du cou et le milieu du dos, on trouva un peu de sang noir et liquide, extravasé dans l'épaisseur des muscles environnants caet". Huiusmodi experimentum iteratum nusquam inveni: bis idem repetere conatus, infilici successu dolendum habui: at cadavera iam duodecim horas, a morte remota erant: auctoritas verumtamen viri qualis CHRISTISON, hac in re sufficere visa est. CASPAR (o. l.) „Ein Strang, mit welchen ein mensch nur wenige Stunden nach dem Tode aufgehängt wird, kann ganz dieselben ortl: Erscheinungen am Halse bewirken, die bei lebendig Erhängten beobachtet werden.” — BEAUDÉ eidem opinioni favet, dicens post mortem, ex sola impressione, numquam elucere posse, num quis vivus, strangulatus suspensusve fuerit, an mortuus. Vere mirandum doctissimum ESQUIROL, A. D. 1838, medicum forensem inspiciendam iussisse, certum tamquam signum, num vivi collo, funis circumiectus fuerit, laquei impressionem caeruleam, cutimque chartae pergamenae naturam simulantem; (Maladies mentales T II.) sed: —

Nil admirari prope res est una, Numici,

Solaque quae possit facere et servare beatos. (HOR. Ep. I, 6.)

Saepe enim multorum cadaverum collis, laqueo circumdatis, funem

(1) REMER quamvis centum et duorum suspensorum cadaverum, octoginta et novem tantum, sugillatione affecta observavit, tamen contendere audeat, rariorem esse exceptionem, i. e. klein genug um die Regel, die Sugillation finde sich bei Strangulirten, als Regel stehen zu lassen. (HENKE, Zeits. Jahrg. II, p. 49) — respondeat FLEISCHMANN. — Die verschiedenen Erscheinungen bei Erh. nur nach der Mehrzahl beurtheilen zu wollen, scheint mir daher nicht ganz richtig zu sein, weil sie ja doch immer nur individuell sind, caet. (HENKE, Zeitschr. B. III, Hft. 2, p. 529.)



arcte constrinxi. Si operarer in cadaveribus validis, sanguine repletis, laquei nota profunde coerulea, remanserat, ablato fune. (Praesertim in viro, in alto mari degere solito, de quo supra iam locuti sumus.) In cadavere valde emaciato, iam duobus abhinc diebus, vita functo, neque trahendo, neque strenuo conamine, funem subito stringendo, licet amicus quidam vires meas, non plane reiiciendas, validae saepe manus pondere adauxerit, in cute notam, quovis colore afficere, contigit. Postridie tamen satis obstipui, striam cernens infuscatam, pergamenaceam, qualis in combustione cutanea offendi soleat. Statim mentem subiit cutis combusta, puellae, hac die, casu in Nosocomium delatae, quantopere colore concordat. Tunc vidi, quam vere dictum ab ANSIAUX (de Liège) necropsiam suspensi cuiusdam referente: "la peau du Sillon était assez semblable à une escarre produite par la brûlure." ORFILAM qui experimentis instituit in 12 cadaveribus, omnigenis morbis correptorum, variis post mortem horis elapsis varioque suspensionis tempore, cutim laqueo suppositam depingens, eandem fere, dicendi formam usurpat: utpote promiscue: peau desséchée, serrée, dense, comme brûlée, caet. VROLIK o. l. cutim vidit sub laqueo: blaauw-bruingeel, porro, van eene lederachtige hoedanigheid. In cuniculis haecce observare non contigit: pilos colli, cutem tutantes, accusavi: postea apud ORFILAM legi se eodem effectû "negativo" quam nos, doluisse. Idem atque nos suspicatus (sed, ignavum aliquando poenitebit ignaviae!) duos alios, pilis denudavit; eandem tunc demum coloris mutationem in cute vidit, quocirca post lectum ORFILAM, idem in cuniculis iterandum, non duxi opportune. CASPAR (l. l.) in tribus suspensis cuniculis laquei impressionem observare non potuit; in quarto vero, iam mortuo suspensio, vestigium laquei vidit, sed nequaquam "eine eigentliche Sugillation." SCHULTZE in experimentis nihil huiusmodi observavit; sed neque C. neque S. collum pilis denudaverant. Signum stabilius ad vivum suspensum a mortuo discriminandum, adfert DEVERGIE, forensis-medici oculos adtendens, ad vasorum iniectionem coloremque furve coeruleum, praesertim quoad marginem inferiorem; sed, — quod stabilitatem valde instabilem reddit, — saepe nota specifica, et in brevi post mortem suspensis, occurrit. Dictionem Gaubianam tunc vero, nimis olet; "nec facile quis experimenta post mortem instituta (pro: impedimenta externa,) huc retulerit, nisi qui ludere in re seria velit." (Path. 35.) Quoties enim accidit ut maleficus, dira caede commissa, victimam statim suspendat, ne cladis oriatur suspicio. Ut docent: BOHN (de remunc: vuln. Lips. 1755, p. 392.) DEVAUX (Art. de faire d. Rap. Par. 1743, p. 527.) CHAUSSIER (Rec. de mém. cons. caet. Par. 1824. VIII, p. 376 et 439.) FODÉRE (Med. lég. Paris, 1813.) duoque casus apud CASPAR (o. l.) De laquei vestigio in suspensis plane absente, postea erit dicendum; ad hancce sententiam a DE HAEN iam datam transgressionem invenio. (Ratio Med. Cont. p. 182.) "Desperabundus homo suspenderat se subligaculo cruris, ex lino contexto, adeoque forti, sed pondere corporis sic extenuato. ut tenuem chordam referret, quae hinc inde excoriaverat collum, nec signa sui, ultra duas lineas lata reliquerat." Notandum est Vratislaviensem REMER quondam stuisse, sugillationem numquam oriri posse, post mortem; quam sententiam, postea et ORFILAE, et Di. CASPAR experimentis convictus, quodam-



modo, illorum opinione ductus, mutavit. — (Conf. HENKE, Zeitschr. B. III, p. 48.) suspensorum, numero 102, 89 sugillationem ostendebant. Recte NOLTHENIUS — de Poenis — „Nequaquam sugillationi tale momentum tribuere possum si attendo ad influentiam, quam Constitutiones diversae in eam exercere valeant, v. c. in nonnullis constitutionibus, in nonnullis morbis, facilius Ecchymosa oriuntur quae aliquomodo cum sugillatione aequiparari possunt, v. C. in febribus exanthematicis petechialibus, purpurea, morbillis, scarlatina, caet. in constitutionibus cachecticis, caet. (pag. 77.) Haemophilos addere possem, caet. (Conf. porro CASPAR, „über d. Strangulationsfurche u. d. Erhangungstod“ Wochenschr. 1837, n°. 1, et CASP. Denkw. z. med. Stat. caet. Berl. 1846, p. 81. — Laqueus post mortem infixus, eodem effectu saepe non caret, atque funis, vita durante, constrictus: (quoad collum, puta.) CASPAR (o. l.) in adiposis suspensis, laquei impressionem plerumque albam vidit. Haec de laquei in collo impressione, in medio proferenda habebam: quae antiqua scripta hoc argumentum quam uberrime tractent, ex industria tacens praeterii. Examen internum propius huc me adducet. Indicasse spero, laquei impressionem ad diiudicandum nihil aut parum, valere. Ipsa sugillatio, quae rara adest, (multo rarius quam REMER l. c. affirmat.) praesens quidem, vivum suspensum non denotat, ut docuit CHRISTISON: si denotaret tum denique e rerum temporibus diiudicandum, utrum de suspensio sermo esse nequeat, in casu ubi invenitur; quod iudicis non medici est, nam.

Judicis officium est, ut res ita tempora rerum,  
Quaerere. (OVID: Trist. El I, L. 1.)

Vix mente capere queo, ORFILAM aliquid ponderis impendisse cutaneis in collo excoriationibus; cadaver enim semper eo graviore excoriatione affeci, quo tumultuosius funem adtraxerim, aut quo durior fuerit laqueus. Molli ligaculo circumstricto, nihil huiusmodi obtinuit, (Conf. porro HENKE's Zeitschr. B. III, VAN SWIETEN in Aph., BOERHAAVE, de cogn. etc. M. T. I. p. 539 vel: Prael. acad. T. VI p. 82 seq.). De Inspectione externa, haec satis dita sunt. Transeamus ad illam quae internam magis spectat. Nonnulla symptomata brevius hic perlustrare possum; Lectorem enim pono, qui apud multas sectiones adfuit, aut quotidie adhuc, in iis versatur.

PULMONES. De Pulmonibus — PAULUS ZACCHIAS (o. l, l. c.) iam dicit, *Fortunatum Fidelem* plenam et indubitam eius facti (suspensionis,) notitiam desumpsisse, ex dissectione pectoris, quod pulmones, veluti purulenta spuma, turgeant; si deest „factum,“ procul sit suspensionis maligna suspicio. — Numquam certe pulmones oedemate affectos inspexerat. TH. BARTHOLINUS, anatomen referens virilis cadaveris ob furta strangulati hominis, proceri, sanguinei, habituque corporis robusto, „inveni, — sic ait — (Hist. 32 cent I, § 31) pulmones grandes variegatos, caeruleos, rubore insperso, marmoris instar leves et spongiosos, sanguine spumoso tam plenos, ut non tantum externae venae tumidae ubique, in membrana apparerent, sed in dissectione cordis, demonstrantem me fere impedirent.“ (Conf. quoque cent. IV, Hist. 6.) BONETUS anatomen hominis suspensi memorat, cuius pulmo distentus fuerat, hic



spumousus, atque fungosus ibi; marmoris instar variegatus. Et MORGAGNUS tamen et VALSALVA in latronibus suspensis, pulmones observare, satis parca sanguinis copia tinctos; in aliis, pulmones nihil notatu dignum afferebant; sic v.g. MORGAGNUS pulmones memorat, qui quoad partem « quae deorsum spectabat, levi phlogosi correpti esse videbantur; » alius viri pulmones « a tergo subrubri » erant; alius suspensi, pulmonis partem invenit « ad pomi magnitudinem, peculiari infecta rubedine, non secus ac si inflammata esset, » de qua iam mox tamen « quod in pulmones gravius erat vitium, id procul non a recenti supplicio repetendum. » DE HAEN (o. l. p. 161) in suspensio cane, pulmones neque distentos multum, neque admodum inflammatos invenit, quod « idem suspensis haud insolitum, » in alio « turgentes admodum pulmones » offendebantur; alius canis pulmones « turgidi admodum ex rubro nigroque variegati, quocumque in loco vulnerarentur, magnam copiam profudere fluidi cruoris; » virum suspensum denique commemorat (p. 181) cuius pulmo « expansus erat, cultroque divisus, sanguinem potius quam spumam fudit, » et ex exemplis allatis vir magnus qualis DE HAEN semper habitus, mortem suspensorum peripneumonicam esse statuit, sagacisque HALLERI locum ad firmandum dictum adfert, unde deduci vult, eum opinionis suae esse fautorem, quod tamen ex loco allato non patere videtur; iudicet lector. « Strangulorum hominum huc (ad submersos,) non pertinent, qui post satis longam moram refocillantur. Eos enim homines facile crediderim APOFLEXIA potius, quam ex intercepto spiritu perire.... Non tamen admittunt experimenta mea, laqueum organis respirationis non nocere. » (Elem. Phys. T. III, § 19) (1). Sequuntur variae laesiones, mechanicae, partes ipsam laryngem constituentes, afficientes: sciat DE HAEN utrum verba sua, HALLERI texto subiecta, cum a Physiologiae patre dictis, quadrent: addit enim DE HAEN; « Integrum magni viri textum laudare volui, ut pateat non ita mortem suspensorum mere apoplecticam esse censere, quin et per ipsa sua experimenta, eandem peripneumonicam esse invenerit; » — apud HALLERUM de peripneumonia non est sermo; — elucet DE HAEN vocem « peripneumoniam » eodem ordine posuisse ac nos infarctum pulmonum haemorrhagicum. — Brevi; — DE HAEN docuit suspensorum pulmones, vario colore affectos, inveniri, variaque in conditione versantes, — quod indicasse sufficiat. — Hisce citatis infinitum aliorum numerum subiicere possem; prae aliis et a MORGAGNO et a DE HAEN dictis, retuli, tum quia utriusque auctoritas, saeculo abhinc elapso, potissimum valebat, cum quia ipsi quondam sagacissimi naturae investigatores fuere, DE HAEN autem expertissimus, in instituendis experimentis. Antiquiores linquo scriptores, et LANCISIUM taceo, quamquam exemplorum thesaurum copiamque contineat, quae rem illustrare possent, si non satis probata iam videret. In casu, supra saepe iam allato, et cor et pulmones, a sanguine vacuos invenit ESQUIROL. GYON (Revue Med. 1823, Sept.) in quatuordecim suspensis pulmones sanguine repletos, observavit, corde dextro vacuo. HINZE (HENKE's Zeits. Jahrg. V) e contra, pulmones vidit anaemicos, in cadaveribus suspensorum aut suffocatione emortuorum. KLEIN (l. supra l.) in variis quos

(1) Fusius de hoc loco, p. 17.



affert suspensorum casibus, ne vestigium quidem ullum, vasorum pulmonalium, sanguine impletorum, offendere potuit. MERTZDORFF (RUST, Magaz. XIV. Hft. 2) pulmones vidit, colore subroseo tinctos et sanguine et aëre, distentos, ipsosque speciem retulisse addit, neonatorum, primo spiritu ducto, tenera vita functorum. RICHENAU (Ibid, XIX. Hft. 2) omnia organa in thorace inclusa, sanguine scatentia invenit. FLEISCHMANN (Ann. d'Hyg. Oct. 1832) duos a se observatos casus refert, ubi et pulmones, et vasa, cellulas aeriferas, sua veluti pariete circumdantia, sanguine referta invenit. In 1° sepulchretorum ab ORFILA editorum, de "viscères thoraciques" legimus: "on n'y trouva pas la moindre trace de congestion sanguine." In 2° continebant: "un sang fluide, mais ils n'en étaient pas gorgés outre mesure." In 3° et 4°, statum normalem pulmones ostendere, ESQUIROL quoque (RUST, Magaz. XIV. Hft. 2) in corde et pulmonibus suspensi, nihil praeter normam invenit; in alia huius viri observatione, pulmo ad partem superiorem, quae retrorsum spectabat, cruore erat infiltratus. At satis et ubertim iam indicavi, quam temere signum ex pulmonum conditione desumptum, certum mortis per suspensionem symptoma, posuere. Tacitus praetereo, reliquas condiciones morbosas pulmonum, cum hyperaemia partium coniunctas, quae ante laquei constringentis vim, longe ram abortae esse possent. "Quaerenti plura legendum "perspicacis ORFILAE necropsias darem; ultimum verumtamen, piumque sit officium experimentorum recordari, ab L. KRAHMER quondam in hunc finem institutorum: "Es ist möglich Erstickung so zu leiten, dass die Lungen blassgelb und vollkommen anämisch erscheinen. Es ist eben so möglich, durch eine Abänderung im Experiment, Erstickung so eintreten zu lassen, dass die Lungen in eine wenig lufthaltige, derbe, resistente, schwarzblaue, milzähnliche Masse umgewandelt werden. Aehnliche Verschiedenheiten kommen auch bei mechanischer Verschlussung der Luftwege lebender Menschen vor. Anscheinende Blutleere der Lungen bei Erstickten beweist an sich niemals gegen den Tod durch Erstickung. (Handb. d. gerichtl. Med. Halle 1851, p. 393) Errat itaque MAX. STOLL, sacculo praetorlapso in universitate Vindobonensi, praeclearus professor, (Rat. Med. — quaedam ad Med. For. pert. Sect. IV) "vasa pulmonum infarcta" strangulationis et suspensionis signum vocans; errat dicens, "in submersis glottis constricta saepe reperitur. Hinc dignoscere possumus an quis vivus fuerit in aquam injectus, an vero mortuus, an vivus suspensus an mortuus?" Errat CHR, LUDWIG in Acad. Lipsiensi, ordinis Medici decanus, (Instit. Med. For. 1765 § 307) dicens: "pulmones distenti sunt caet. quae cuncta in eo qui morte placida obiit, non observantur." Errat HENCKE (Lebrb. d. gerichtl. Med. caet. § 425) locutus de: "mit Blut überfullte, dunkelblaue, strotzende Lungen." Errant denique tot alii, qui suspensorum symptomata, ab aliis sibi traditis, posteris reddidere, et, non ex naturae fonte hausta, scriptis mandavere.

In suspenso meo primo, quem tertio post mortem die, dissecaui, pulmones inveni praegrandes, pulchros, integros, caeruleos, marmoris instar variegatos, ad partem posticam nigrescentes, utroque lobo inferiore sanguine scatente; cruoris vero extravasati, quovis loco cultro diviso, nullibi vestigium inspicendum tenui: (notandum cadaver per triduum



supra dorsum decubuisse.) Secundi suspensi pulmonum (J. H. K....R.) 2° post mortem die, partes, loborum inferiorum, posticae, rubro-caeruleum retulerunt colorem; pulmones cultro dissecti, crepitabant et sanguine turgebant, ut et vasa venosa. Bronchi, pro virili parte sanguine libero repleti erant, bronchorumque mucosa, sanguineum colorem ostendit; si in vitam revocari potuisset, dubitandum non est, quin magnam sanguinis copiam, per emesin emisisset; denique, ut verbis utar iam relatis et a DE HAEN usurpatis: quocumque in loco vulnerentur magnam copiam profudere fluidi cruoris. Hinc non mirandum, huiusmodi pulmonum conditionem, virum cui indagatio microscopica non innotuerit, facile ad pneumonici pulmonis ideam, adducere potuisse. In variis quos suspendi cuniculis, semper pulmones subrubentes inveni, uti in neonatis offendi soleant, i. e. sanguine effuso absente; in multis muribus domesticis, idem adspexi. Plurimis tandem perlectis, quae de suspensorum pulmonibus, litteris mandata sint, nihil docere videntur, ni errem, praeter id: rem agi de symptomate quam minime stabile, quod variae conditiones accedentes, tantopere immutare possent, ut omnem qua gauderet ad probandum vim, plane amittat: fac denique, omnes suspensos, pulmones ostendere et sanguine et spuma repletos, id quod valdopere dubitandum vel potius non verum est, tunc quoque statistica nos moneret, ne laquei effectum haberemus signum quod universe occurrat, et in suffocatis (sive gasis venenatis, sive venenis, sive pulmonum cordisque paralyti, sive strangulatione, ad vitae terminum adducti sint,) et in iis qui pulmonum Oedemati, Bronchitidi, variis cordis dextri vitiis, caet. succubere: hinc vivi suspensi, a cadavere laqueato, distingui nequeunt (1).

Omnes fere venae, („A priori“ fortassis, sic rem construxere,) turgent in suspensio, itaque et cordis et pulmonum; posteri verumtamen, saepe naturae fidelem observationem discordantem invenerunt. At „vox semel missa“ reverti nescia erat; diu resonavit, hodie subinde remurmurat, et diutius adhuc resonabit, cum nobis non peritura. Reluctantes iam tunc domum mitti solebant, statim ac suspensi cuiusdam pulmones, a sanguine vacui offendebantur, cum sententia: Infarctus haemorrhagicus morti non superfuit: „Credat Judaeus apella!“

De corde Dextro cruore referto sanguineo, verba non faciam: quae de pulmonibus in medio protuli et hic valere arbitratus: Hocce signum itaque, etiam a sede removendum videtur (2).

In suspensio meo primo, utriusque cordis sinus et ventriculus, san-

(1) Remer contendit Apoplexia emortuos, pulmonibus dolere collapsis, anaemicis; in Asphyxia, e contra, mortuis — diese Organe von Luft ausgedehnt sind. FLEISCHMANN, o. l. p. 327. Bei Erstickten befinden sich gewöhnlich die Lungen in einen sehr aufgetriebenen Zustand.

(2) REMER (HENKE, Zeit. Jahrg. II, p. 57) in suspensio, Apoplexia correptis, utrumque cor, sanguine repletum esse, dicit; in Asphyxia vero emortuis, cor sinistrum a sanguine vacuo, offendi; cor dextrum e contra, vasaque ipsius, cum arteriosa tum venosa: „mehr oder minder, und zwar was ein wichtiger, von den Prakt. Gerichl. Ärzten, und von den Schriftstellern selbst nicht allgemein beachteter, Umstand ist, geronnenes Blut enthalten.“ In historia operi subiecta, de hocce dicto paulo uberius sermocinari, mihi propono. Perperam igitur HINZE: (o. l. Jahrg. IV, Hft. I.) Die Flüssigkeit des kohlschwarzen im Herzen und den grossen gefässen enthaltenen Blutes gehört dem Tode des Erhängens als ein allgemeines — Kennzeichen überhaupt an. —



guine scatebat nigro, aquoso, absque ullo coagulo, parietibus sanguineo colore non pictis; in corde dextro verumtamen, leviori gradu quam in sinistro. Secundi suspensi (J. H. K....R) cor sinistrum, parvam fluidi sanguinis copiam, inclusam tenuit, corde dextro plane contracto, i. e.: a sanguine vacuo; auricula dextra a sanguine parum distenta. In cuniculis et muribus suspensis, cor plerumque sanguine et cruore turgescens inveni, sed non alio, quam in ipsis, quos alium in finem, aetheris sulfurici inhalationibus necaveram. Et Hepar et Lien et Renes saepius occurrunt hyperaemia affectos, quam quod in vivis suspensis, id tantum salutare velles; sic: v. c. in omnes neonatos, quos aut ipse dessecui, aut quorum sectioni adstiti, omnia organa, parenchymatosa dicta, semper sanguine scatentia inveni; quod non parvi faciendum existimo, a quovis medico-forensi, ex quo saepe rogatur num infans mortuus deprehensus, ab aliena lethifera manu, vitae terminis sit adductus. Renes v. c. prae infarctu sanguineo, ita nigrescentes, Hepar prae cruoris congeriem, ita expansum, ut, quovis loco incisione facta, fossa statim ex ima substantia, sanguine prosiliente sese impletet, qualia in suspenso K....R occurrebant; nusquam simile quid observavi, praeter in neonatis, ex quovis morbo vita functis. In Liene Clarus VIRCHOW et hyperaemiam et sanguinem extravasatum, secundum naturam vocat. Hisce diebus crebrae parvaeque in Hepate, apoplexiae sanguineae memorantur. Licet Hepar post mortem, omnis generis colores referat, maximeque variegatos, tamen valutidinem agere videmus secundam. Renes diversissimi coloris, quovis die in sectionibus occurrunt. (De variis causis, organa haecce abdominalia afficientibus, conf. VIRCHOW, Archiv B. IV, p. 261. B. V, p. 281.) (2).

DE TUBO INTESTINALI. Quid intestinalem tubum rubentem referam? Ileum saepe rubrum vidi in cadaveribus, quae numquam ex intestinali tractu laborarant 2° semper fere in primis stadiis (per consensum ut vocant,) peritonitidis, in oriente enteritide, quae totum tractum nondum perturbabat; in Cholera Asiatica, Typho, caet. A MORGAGNO observatum est in multis suspensis, quibuscum lumbrici nidulantes hospitium exercebant: vidit in viro trium litterarum (per Euphonia = Fur, ut PLAUTUS. Aul. 2. 4. 46), „qui certe de nullo intestinorum incommodo questus fuerat, ut vermium agitatio aliqua, eius mortem consecuta, illuc versus, sanguinem, quippe fluidum, concitasse videatur, unde sequitur, — sic pergit MORGAGNUS, — cum in cadaverum intestinis partem aliquam, eiusmodi colore infectam videmus, non continuo eo decurrendum esse, ut inflammatione.... tentatam pronunciemus,... cum vel post mortem aliquando possit is color induci, praesertim cum dissolutus sanguis et fluidus est” (Conf. o. l. E. l. Art. 18.) BUTTNER in quatuor suspensis qui sortem manu quaesiverant, Ileum phlogosi correptum inveniens, stabile mortis suspensione arcessitae signum, indicasse existimavit (RUST, Magaz. XVIII. Hft. 3.) (2) — ROLOFF ubi

(1) Hisce organis adnumerandam esse glandulam pancreaticam cuius patebit; reliquis organis parenchymatosis, hyperaemia laborantibus, pancreas anaemia non facile dolebit. FLEISCHMANN tamen hance glandulam, prae aliis inspiciendam proponit in suspensis.

(2) Si ingenio, qualis erat FLEISCHMANN, medicinae legalis doctrinae litteratura magis innotuisset, certe non scripsisset: „Noch unbemerkt, oder vielleicht



cerebrum invenit sanguine repletum, ibi et ventriculum et tractum intestinalem, variis locis phlogosi correptos, vidisse se, testatur, (KOPP. Jahrb. 1851. p. 174.) Plane illi assentior. Quae et ab ORFILA et ab aliis observata sint, huc adducere non opus est; affirmant quae dixi et exposui. Praeteriens itaque hocce signum, quippe quum non satisfaciat postulatis a certo criterio expectatis, transeo ad vasorum sanguiferorum, tam colli quam corporis totius conditionem, de quo argumento paulo uberius erit dicendum. Orsum faciat brevis conspectus historicus, vasorum colli ligaturae effectûs.

VASA SANGUIFERA CUM COLLI, TUM CORPORIS TOTIUS.

Variae continuo difficultates occurrunt, quia scriptores. praeclari STAGYRITAE, Pergamenique GALENI experimenta referentes, ut COLUMBUS, SALIUS, SANCTORIUS SANCTORIUS, alii, magnorum virorum, modo laudatorum, naturae studiis incumbentium ad instar, non perspicue intelligebant arteriae et venae, quid inter sese differant; inde recte iam CAESALPINUS, „antiquos carotidas vocasse, non solas arterias, sed omnes venas ad cerebrum delatas.” Sic, v. c. ARISTOTELES (Hist. anim. Lib. III. C. IV. init.) „Vena etiam minor quam Aortam diximus nominari, eodem sporgitur modo in ramos, qui partes venae maioris consequantur.” MORGAGNUS locum ARISTOTELIS, „quibus in collo venae deprehenduntur, ii insensibiles fiunt”, quasi de venis iugularibus acceptum vult. C. HOFFMANN (De Thorace, L. II. C. 29), „BENEDICTUM scripsisse dixit in opere suo (Tract. I. 34) in Assyria, moris esse, ut adolescentibus quibus praepudia adimere volunt, ligent venas circa guttur; his enim perire sensum et motum” (hic certe de carotidibus agitur sermo.)

GALENUS yeruntamen „venis constrictis functionum evidenter vidit, interire nullam.” Nova tamen oritur confusio. Iugularis externa ab interna non distinguitur. Rectius hinc HARDER, „sanguinis extravasati parum omnino deprehendit, firmissimo argumento, via hac praeclosa, aliam per venas, maxime iugulares internas, naturam sibi parasse,” inde sequitur, se ligaculo circumdedisse iugularem externam; idem experimentum a GALENO quondam institutum esse, doctorum virorum plerumque fert opinio. Magnus BOERHAAVE, sol ille, totam disciplinam medicam quondam illustrans, in praelectionibus (de Inst. § 860), DRELINCURTII canicidia memorans, quibus pateat, „externis venis iugularibus ligatis, stertere, tumere, suffocari canem,” et (§ 286) STENOMEM scribentem faciens observationem „qua visum est a vinculo venarum iugularium, animal apoplecticum factum,” locum ipsum constrictionis accuratius indicare neglexit, quod si sciret, Lectori valdopere prodesset; conferatur v. g. MORGAGNUS l. c. art. 31, ubi legimus „aliam in aliis animalium generibus, esse posse vasorum aut dispositionem aut communicationem, quis neget?” caet. — quamobrem et illud alterum spectare decet i. e. qua in colli sede, ligatae fuerint venae iugulares, nam inter altiorem et inferiorem sedem, sive ob eam quae modo indicata est, sive ob constantem causam, discrimen esse

weniger beachtet sind, meines Wissens..... die Ueberfüllung mit Blut der feinsten Gefäße des Darmkanals, das Extravasat an der Bauchspeicheldrüse, und die Sugillation in derselben und die sehr zusammengefallenen und zurückgezogenen Lungen (de quibus iam REMER, Conf. HENKE, Zeitschr. B. III, Hft. 2. p. 321.)



coniicias licet." LAMURIUS (Mem. de l'Acad. R. d. Sc. 1749, Exp. 34) in duobus canibus, ad breve temporis spatium, internas venas iugulares obligandas curaverat. In primo quidem postquam vinculum iniectum fuerat, infra earum bifurcationes, soporem adnotavit nullum; in altero autem, cum iniectum esset, quoad fieri potuit, propius thoracem, incidit in profundum soporem. Quo plures sint communicantes ramuli iugulares inter externas et internas, aut supra aut infra ligaturam positas, eo variori gaudeat effectu necesse est. VAN SWIETEN e contra (Comment. in BOERH. Aph. T. I. § 70. n. 3) « ligavi — sic ait — venas iugulares sine ullo observabili malo." Sed antea arteriae carotideae iam ligatae fuere — (octo dies ante,) — tunc certe veri aliquid inesse potest. Ipsum verumtamen, sanguinis adfluxu libero contraria observasse, ex sequenti loco patet, ubi dicit (T. III. § 1070) « magnam cautelam adhibitam esse, ne venae encephali facile impedirentur; sinus enim, diverticula quasi efficiunt, ubi pars sanguinis venosi colligi possit, et haerere pro quodam tempore, dum venarum iugularium commoda evacuatio impeditur." — porro — « ipsae autem venae iugulares in collo ita locantur ut a musculis agentibus impediri nequeant. Hinc videmus toties a collari nimis adstricto, homines vertiginosos fieri, dum venae iugulares angustantur" et plura exempla de quibus fusius postea. Non facile intelligi potest, qui factum est, ut magni viri contendere ausi sint, vitam damnium non capere oclusis venis iugularibus: quicumque enim sibimetipsi hasce venas arcte comprimant statim sibi faciem observabit, magis magisque tumentem; facilius attamen evolvitur confusio, ex antiquorum experimentis orta: quum enim locum non dedere, ubi vas vinculo fuerit circumstrictum, contradictio paulisper excusanda videtur. Solus LAMURIUS locum: (Conf. I. s. I.) adcurate designavit. Homini numquam deest Anastomosis quaedam, sive ramulus venosus communicans (supra compitum, ab Omohvoideo musculo effectum,) iugularem venam externam cum interna coniungens — « welche somit als Nebenschleusse functionirt" (HYRTL. Top. A. Th. I, LXVIII.) Toties in homine observavi, quoties quaesivi; in cuniculis, in tribus muribus (canem tenere non potui,) numquam desideravi: hinc eluceat cur varium constrictionis locus, tam vario effectu semper gavisus sit, unde dixit. R. LOWER (de Corde, p. 128. Ed. L. B. 1740) « venas iugulares, subducto iis filo, in cane arcte ligaveram, et post aliquot horas, partes omnes supra ligaturam mire intumescebant, et intra duos dies, canis, quasi angina suffocatus, interiit; qui itaque experimentatores (s. v. v.) ligaturae nullum effectum observavere, aut non arcte constringere vinculum, aut externas tantum iugulares, aut internas, infra ramum communicantem, ligavere. Hisce cogitationibus inhaerens, sub oculos cecidit locus apud HALLERUM (Elem. Phys. T. IV, p. 308. Cap. V.) « In cane numquam vidi, interceptis arteriis, venis, aut utrisque vasis, soporem aut apoplexiam nasci, neque adeo facile credam ab incisioribus eventus visos esse" — postea legi apud CEDER: (Diss. de deriv. caet § 33) « neque intumescere multum venae supra filum, neque multum aperti damni, passus est canis, neque stupidus factus est, sed pene per totum diem, vegetus, continenter latrans" — sed si tandem DE LOWERO locutus, dicit — « cum ait "se venas iugulares ligasse, obscurum est, solasne externas," obscu-



ritas illa, non profunda videri potest; patet enim ex LOWERI ligaturae sequela, ligatas fuisse certe internas, et si DESNOVES (NOVESIUS) Lett. IV, iugularium ligaturam nihil efficere ait, potius crederem, se aut vinculum non satis constrinxisse, aut animalibus usum fuisse, quibus crebra erat anastomosis cum venis vertebralibus.

MORGAGNUS a NOVESIO dictis, pro virili parte adnuat, SWIETENIO non assentiatur, dicenti, facile apoplexiam oriri, (quod minus recte tamen, ex quo DONDERS ostendit apoplexiam sanguineam, vasa non integra sibi poscere,) sanguinis fluxus et refluxus, — «aestas ille maris microcosmi,» — ut ait STAHL, maximi sunt momenti, semperque manebunt: propria observatione ductus, a SWIETENIO (1), laquei venas iugulares prementis effectum depingente, dicta, avide utraque manu arripio, et a me ipso dicta vellem; «simulac in laqueo haerent, compressis venis iugularibus, mox tumet et rubescit tota facies, licet momento ante, mortis metu, fuerint pallidissimi: dein livescit, imo nigrescit fere, a sanguine venoso adgesto in venis tumentibus;» — oculos depingere omisit. Teleologiam adire nolui: vide quae pulcherrima argumenta, hinc mihi quaerere possem: Musc. Omohv. contractus, sanguinis in vena iugulari interna circuitum, interrumpere posset, — at, musculus ille ipso loco quo venam tegit, membranaceam refert structuram: adde porro anastomosin supra iam memoratam: sed — argumenta haecce non opus sunt, ad probandum, ligaturam iugularium effici non posse, «absque ullo observabili malo.» (v. Sw.)

Utraque Carotide ligatâ, quid accidat porro, videamus. — «Etiam hic repeto non semel a me iteratam confessionem: utor divitiis collectitiis neque in hac theoria, proprium habeo inventum. Deinde neque plenum sermonem promitto, cum longi operis numerosas partes, oporteat breves esse.» (HALLER-EL. Phys. — Soni Theor. Phys. T. V. p. 249.)

Les extrémités se touchent. — Oritur Lipothymia cerebro sanguine scatente, (qui mortem suspensione, effugere, licet cerebri sanguine repleti, symptomata obtinuissent, semper testati sunt), oritur eadem Lipothymia ex anaemia cerebri, sive larga sanguinis copia emissa; (num leges Physicae sinant sanguinem emitti posse a vasis cerebralibus, alio liquore non substituto, hucusque non satis constat, —) sive sanguinis adfluxu, ligaturae ope impedito. Hinc iam RUFUS EPHESIUS, qui ante GALENUM opus conscripsit de corpore humano, (I, 34) affirmat «arterias collum subeuntes carotidas, i. e. somniferas, antiquos nominasse quoniam compressae, hominem sopore gravabant vocemque adimebant. Hinc SALIUS (De affin. part. C. 2.) ARABES Carotidas venas, *apoplecticas*, vocasse, quod «ligatis, deperditur statim motus et sensus.» GALENUS arteriam Carotideam vinculo subligavit: num et ARISTOTELES? — «adhuc sub iudice lis est.» — Carotidis ligatura HIPPOCRATI innotuisse videtur; VALVERDUS ait (Anat. Corp. hum. Lib. VI, C. 11.) «carotidibus obstructis, sive quavis tandem ratione occlusis, statim obdormiscimus: Ex exemplo, ad dictum firmandum allato,

(1) Conf. de argumento nostro WILLIS, Cerebr. Anat. C. VII; VAN SWIETEN, o. 1. T. III, p. 259. RIDLEY, Anat. Cerebr. C. IV; HALLER, T. IV, p. 125. ALBINUS, Adn. Acad. L. II. C. X; HUEURMAN, Phys. T. III, p. 145. De confusione Arterias inter et Venas, H. F. THIJSSEN: de pulsus doctrina, L. B. 1810. p. 144 seq.



patet, ad anaesthesiam admovendam, hocce tantum remedio opus fore, deficiente chloroformo, dummodo "facilis illa ocludendi ratio, quam ioci causa adolescens ille admitteret," nos recentiores non fugisset. GALENUS (De loc. aff. I, C. 6 seq.) arteriis constrictis ait "animal neque mutum neque sopitum evadere, id quod plerique qui post HIPPOCRATEM dissectione male usi sunt, memoriae prodidere; porro — sic pergit, — si nervi laedantur obtumescere (animal), si arteriae, nequaquam id fieri, si venae, multo etiam minus," — alibi (De Util. Resp. C. 5.) "se saepe experimentum fecisse confirmat, nihilque passum animal, neque statim, neque postea," alio loco denique (De Pulsu, C. 2.) "per integrum diei spatium, ut saepe expertus fuerat, animal sine noxa perdurare, diu probe currere vidisse" se, confirmat. Et COLUMBUS et SANCTORIUS, dispari cum eventu, GALENI experimenta iterarunt, sic v. g. SANCTORIUS: (Comment. in Art. Med. Gal. qu. 35.) "vidimus, — ait — canem, cui fuerint ligatae carotides, qui spatio unius horae poterat se movere et sentire, etenim post multas horas non est dubium quin ob mirabilem consensum, qui est inter cor et cerebrum tandem moriatur." VAN SWIETEN, GALENI magis consonus, (o. l. T. I, § 170, n.º. 3.) "Impune, — sunt verba Sw. — videtur ligari posse, Carotis arteria..... in cane ligavi *utramque* Carotidem, nec potui observare illum aliquid mali, inde pati; inveni enim hoc animal post alios octo dies elapsos, vegetum et alacre: ligavi *tunc*, venas iugulares sine ullo observabili malo. Post quatuor dies inveni canem sanum omnino." VALSALVA *utramque* carotidem in infimo canis collo, obligavit; sic commode quinque dies vixit; sexto autem, viribus paulatim deficientibus, obiit die. ANDREAS VESALIUS (de Corp. Hum. fabr. L. VII, C. 19.) et CHRISTOPHORUS a VEGA, apud HOFFMANNUM, cum GALENO dissentiunt. ROLFINCIVS (dissert. Anat. L. VI, C. 44.) non GALENO solum sed etiam omnibus reliquis experimentatoribus, fidem derogare, se dicit. Historico conspectui finem hic imponam; quid in antiquis hisce observationibus insit, in medio lateat. Hucusque enim "scinditur incertum, studia in contraria volvus." (Aen. II. 39.) Videamus quid ex experimentis a duobus praeclaris viris, in hunc finem quondam institutis, eluxerit. Primo loco Dm. BICHAT adire iuvat, qui (o. l. Par. 1805. p. 171) dicit: "en général l'obliteration des carotides n'est jamais subitement mortelle. Les animaux vivent sans elles — au moins pendant un certain temps; — deux cependant n'ont pu survivre que six heures." Experimenta quam exactissima ab ASTLEY COOPER instituta sunt. In lepore cuniculo, *utramque* carotidem vinculo subduxit. Et respirationem et cordis ictum, acceleratum vidit. Arteriis vertebralibus vero, simul compressis, respiratio statim desiit. Convulsiones, lipothymia caet. abortae, mortem nuntiare visae sunt; cessante pressione, post aliquid temporis lapsum, animal refocillare visum est; eodem experimento sexies in eodem animale repetito, sexies par erat effectus. Tunc demum, liberatis carotidibus, vertebrales, vinculo circumdatae sunt, subito et pulmones, et auris et pes dexter, paralyti correpti videbantur (dyspnoea in sequentem usque diem protracta est). Carotidibus compressis, animal simul, veluti attonitum, sensibus ereptum, prosternebatur; cessante, vero pressione, impos sui animal, ad mentem rediit. Experimentum ter iteratum est; quinto autem die, animal mortuum inventum; ligatis et carotidibus et vertebralibus, post tredecim vel



quatuordecim convulsiones mors subintravit. Praecipua haec sunt experimenta (1).

In antiquis descriptum frustra quaeritur, quo locorum vinculum circumiectum fuerit, sive supra, sive infra arteriam bifurcatam, utraque carotis ligata fuerit, nec ne. GALENUS non errasse videtur. Maioris tamen momenti oritur difficultas inde, quod experimenta solum in animalibus instituta sint. In homine res alio se habere videtur. Lethali cum exitu, unam tantum hominis arteriam carotideam ligatam fuisse, chirurgorum statistica docet. (Tabula quam edidit NORRIS, effectu gaudet longe felicissimo, triginta octo enim, viginti et duo homines valetudini secundae restituti sunt.) Utrisque itaque ligatis, non dubito quin mors subintraret.

Quamquam in animalibus, libra aequo iuge non pendet, mors enim leviori pondere premere videtur quam salus; sedula inquisitione hinc opus est, quaenam et carotidis et vertebralis et ramorum utramque coniungentium, inter sese comparatorum, sanguinis capiendi sit opportunitas, utrum homo hac in re ab animalibus distinguendus sit, in quibus a priori arterias expectaremus, cappaitate non tantopere ab hominis vasis, differentes. Arteriis carotideis subligatis, eadem contingere ac si reliquae corporis arteriae vinculo circumdantur, naturae consentaneum; membra sentit aeger quasi emorientia; quid percipit si cerebri functio emori minetur? oriuntur et sopor, et hebetudo, et stupiditas, et mentis inertia, quae usque perdurat, donec, (quod in omnibus arteriis fieri soleat), alii ramuli, ligatae munus suscipiunt (quod si non fit, hebetudo caeteraque obligatae carotidis sequelae, perdurare solent; (sic ex ore celeberrimi TILANI quondam accepi, se, ubi liganda erat carotis, propter enormem sanguinis effusionem, tumore quodam e regione malari exsecto, per duos annos, quos vitam postea protraxerat aeger, mentis hebetudinem stupiditatemque continuam, observasse). MORGAGNUS iam argumentum tangit, dicens (E. I. art. 28) «Fac tibi vertebraliū arteriarum veniat in mentem, quas etsi VALSALVA minime latiores factas animadvertit, negari tamen non potest, tanto plus sanguinis quanto minus carotides poterant, excepisse et ad cerebrum transvexisse.... eaque ratione sanguinis per cerebrum circummitionem quadantenus servasse, et quod consequitur, eiusdem inde per venas reditum adiuvisse,» quod non ita facile fiet, quia vertebralis Arteriae carcer osseus, prius maiori sanguinis venientis copiae adaptari oporteat. De VALSALVA, MORGAGNUS iam dixerat, «neque ullae tamen arteriae aliae, et nominatim vertebrales, factae ne pauxillo quidem erant latiores.» Recentiores observavere in canibus, quibus ligata erat Art. Carotis, ramum communicantem, sensim sensimque in transversam Tracheam evolutum, in homine autem arcum arteriosum, utramque arteriam lingualem coniungentem, supra os Hyoides extensum. MORGAGNUS forsā sic locutus est, WILLISII obductione instigatus, auribus aequae avidis ab omnibus huiusce temporis auctoritatibus, accepta (ut et hodie grata posteritas, prae sommo inhians, de venatore Canadensi legit

(1) Conf. ASTLEY COOPER: Some experiments and observations on tying the Carotid and vertebral arteries, and the Pneumogastric, phrenic and sympathetic nerves, in Guy's Hospital reports. Vol. I, p. 465. Londini 1836.



MARTIN dicto, et a BEAUMONT observato, aut de cuniculis Rubiam Tinctorum pastis): ecce locus toties agitatus... « non ita pridem cuiusdam defuncti cadaver dissecimus... in eo carotidem plane osseam seu potius lapideam, (cavitate eius fere in totum oclusa,) invenimus, adeo ut sanguinis influxu, hac via denegato, mirum videatur quare aeger non prius interiisset apoplecticus... enimvero contra illud Apoplexiae periculum, natura remedium satis idoneum substituerat; nimium ex eodem latere quo Carotis defecerat, arteria vertebralis, tubuli mole aucta, pari sua, alterius lateris triplo maior evascerat, quippe sanguis, carotide exclusus vertebralis solito vectigali, sese insuper addens, et duplicato fluvio in eundem alveum confluens, arteriae istius canalem, ita supra modum dilataverat. Aliud exemplum huicce subiicit (Th. WILL. Op. omn. Cerebr. anat. p. 25—26. Ed. Amstel. 1682).

Sed satis divagatus sum, ad rem redeo; id modo scire interest, quanam sit vitae inmutatae conditio, colli vasis subito interclusis; quae antiquiores hac de re tradidere, copiose exposui, pergamus itaque. Qui colli capitisque vasa, sanguine infarciri queant, in primis erit dicendum. Hic prae aliis ad colli formam propriam attendendum existimavi. Varios homines, varia colli forma esse praeditos, notum est. Ipsis colli propriis formis neglectis, quae unius in aliam transitum constituent, mihi hasce colli species adsumo, in utramque ordinis finem positas: 1°. Collum distinguo, cuius sectio horisontalis, trigoni formam refert, ab illo, cuius eadem sectio magis circularis est formâ. In collo cadaveris satis emaciati (forma =  $\Delta$ , fere semper hic occurrit), cuius larynx, sectione horizontali instituta, trigoni apici adiacet, satisque prominat, laqueus inferiori parti adpositus (v. g. inter Cartil. Thyr. et Cric.), Laryngem retropremat necesse est; quae tunc, maiori vi, in Arterias Carotideas reaget quam ipse laqueus in venas iugulares, et MM. sterno- et cleidomostoideis tensis, satis bene custoditas; forma haecce triangularis colli, pressione adhibita, nunquam in circulare transire vidi: loca prominentia maxime comprimuntur, sed iugulares ibi non sitae sunt. Aliud quid observavi in collo cuius typum HERCULIS FARNESII ingens forma, ostendere posset; hic laqueus aequa vi in laryngem, parce prominentem, premit, quam in iugulares venas, et satis arcte, ut hae saltem occludantur; pressio enim, secundum leges mechanicas validissima est, eo loco, illi puncto directe opposito, ex quo corpus sit pendulum, i. e. in Larynge: sed carotidem tamen non facile sic comprimes, quae, et situ profundiori, et tunicarum crassitudine, a laqueo premente, satis bene custodita sit. Hinc MORGAGNUS iam respondit (Ep. l. art. 29) « Equidem fateor Carotides interiores esse quam sint iugulares internae, addo etiam compressioni magis resistere ob tunicarum crassitudinem et sanguinis impetum quo distenduntur. » Pluries in cadaveribus ad hanc observationem animum adduxi, et saepius mirabar, rem, haud ita parvi momenti, hucusque praeteritam esse; sequelae enim inde deducendae, non praetereundae videntur. In solo ROOSE (Beitr. z. Offentl. u. Gerichtl. Arzn. St. I. Brunsw. 1798) sententiam quandam a BRINCKMANN editam, improbatam, nuper legi; contendit ille caput livescere, compressis venis iugularibus, e contra pallescere, carotidibus simul compressis; votum forsitan merito fuit reprobandum. Ex supra dictis enim patet me non credere, simul



utramque pressionem fieri posse, quodsi accideret facies tamen livesceret, quia carotis, arteriis et venis eadem quamvis vi compressis, tamen usque sanguinem adducet, quum magis spectet partem internam, fortiusque cuivis strictioni resistet, quam venarum, magis externe sitarum, tenuiores parietes; sic VIRCHOW (Unterleibsaff. Archiv, Bd. V. p. 313) de herniis incarceratis locutus, huiusmodi quid animum advertit. „Die arterielle und venöse Circulation werden zu derzelben Zeit unterbrochen werden. — Allein so bedeutend ist namentlich im Anfange die Einklemmung äusserst selten. In der übergrossen Mehrzahl der Fälle, wird eben nur die dünnwandige, oberflächlich gelagerte Vene, zum grösseren Theil comprimirt; während die Arterie unbedeutend verengert wird, es fliesst daher mehr Blut zu, als abströmen kann und es entsteht sehr schnell eine dunkle, blauröthe und bald swarzrothe Hyperaemie des Darms,“ caet. Huiusmodi quid referens dicit A. COOPER (vers. Germ. Weimar 1833. p. 58. Anat. Beschr. u. Chir. Behandl. d. Unterleibsbr.) „dass die Menge des Bruchwassers der Grösze des Einklemmten Darmstücks entspreche. Praeclare quondam LA BRUYÈRE: „Si l'idée est claire l'expression est claire,“ aut si ligatus sermo magis placeret, „ce que l'on conçoit bien s'énonce clairement. — Et les mots pour le dire arrivent aisément“ (BOILEAU, A. P. Ch. I) quod si ab antiquis dictum velles, „verbaque provisam rem, non invita sequentur;“ (Ad Pis. v. 311) multo verumtamen praeclearius Marc. TULLIUS dixisse, semper visus est (Tusc. I. 3). — „Fieri autem potest ut recte quis sentiat, et id quod sentit polite eloqui non possit!“

Id modo significatum volui, stilum meum, non quod tractavi argumentum, inculpandum esse, si „animus docilis“ a me dicta non cito perceperit; inde forsitan deduci posset, qui fit ut validi vegetique suspensi, plerumque, facie coerulea, deprehendantur; colli enim forma, magis circularis, venas iugulares plurimum adstringi, facit: primo et sinus et cerebri vasa, sanguine replentur, tum demum vasa superficiem magis spectantia. Venis iugularibus diu subligatis, VALSALVA aliique, in cerebri ventriculis, serum effusum inveniebant; aures, labia, caet. sero turgentes nonnumquam observavit; experimentum legimus in hominibus quondam profuse iteratum. In libro dicto: Allg. D. Biblioth. (B. 48. St. I. p. 119) de centurione quondam Sueco sermo est, qui ostentationis causa, subditos sibi milites, collaria arcte constringere iussit, quo facies vividae ac rubicundae redderentur; id vero efficit ut, aliquot annorum spatio dilapso, cohortis militum pars, eaque illorum fortissima, apoplexia correpta prosterneretur. MONRO (on Dropsy) de aliis militibus idem narrat; sed si VAN SWIETEN, commemoratis collariis nimis adstrictis, statim ad laqueum transire videmus, verbis, „videntur autem illi qui laqueo suffocantur, apoplectici perire;“ id nimis generale ab eo dictum credimus. 2°. Inde explanari posset, cur multi, etiam durante suspensione, neque tumeant, neque rubeant facie. Licet ii, (tenuiorum collo praediti, puta) sanguinis multo minori copia, vulgo gaudeant, satis tamen cruoris superest, ut genae inde rubescere queant; aegrotantes enim, utriusque generis valdopere emaciatos et anaemicos, saepe prae pudore aut dolore, erubescences observamus; supra vidimus ligatis arteriis i. e. sanguinis ad cerebrum adfluxu impedito, semper



cerebri anaemia oriatur necesse esse = sopor, hebetudo, caet. Venis itaque multum deducentibus, arteriis vero non adducentibus, apoplexia sanguinea fieri nequit. Experimenta supra laudata (prae aliis ASTL. COOPER) dictum illustrent, quod quoque patet ex WEPFERRI observationibus, (Exercit. de loc. affect. in Apoplexia) quamquam huiusce viri experimenta antea veri librae iterum imponenda videantur. Ratiocinationibus suis ductus, HENLE ostendit, sanguinem ab Arteriis vertebralibus allatum, parum in cerebrum humanum reagere; licet magnam sanguinis copiam adduxerint, venae vertebrales tamen omnem facile deducunt, quod illis dictum vellem qui contendat, semper apoplexiam oriatur necesse esse, arteriis quamvis oclusis, dummodo subligatus quidam suspendatur. Ex supra dictis primo loco cluceat, non omnes suspensos apoplexia emori, aut cerebro vel a sanguine vel a sero repleto; multos vero, propria colli forma, ab hoc malo tutos esse, nisi compositum quid ad constringendum abhibitum sit, v. g. collare, caet, funis nodosus, quorum nodorum unus facile, more "tourniquet" aut iugularem, aut carotidem, premere posset. FLEISCHMANN (de cuius experimentis postea), Apoplexiam tunc maxime oriri observavit, venoso refluxu intercluso; ibi enim vasa colli occurrunt, prae sanguine magno opere extenta. Vasa colli saepe salutari, facie tumida, dummodo laqueus non statim post suspensionem ademtus fuerit, adfirmat ESQUIROL. Cadaveris, ampla sanguinis copia gaudentis, nondum plane refrigerati, ipse quondam collum laqueo circumstrinxit. Aliquot horis elapsis, satis mirabar colorem sub-caeruleum faciei turgidae, qui, dissecto fune, sensim evanuit. (Colli venae supra ligaturam admodum turgescerant.) Inde didici quam versatile signum ii statuere, qui vasa colli, sanguine plena, vivi suspensi symptoma vocarint. Qui fit ut ESQUIROL idem contendat aenigma mihi visum; nequaquam verumtamen consilium, a se datum, non amovendi funem a collo. Iam a saeculis notum est, suffocatis inesse sanguinem fluidum. Praeter multos antiquos auctores, in suspensis observavere sanguinem fluidum, GÜNTHER (Salzb. med. Zeit. B. I, p. 317. 1819), ROOSE (Beitr. z. Gerichtl. Arznh. B. I, p. 189), PYL (Aufs. u. Samm. VII, p. 99). Fluidi sanguinis, et praeclarum et solemne exemplum vidi, in submerso, staturae vere Herculeae: confusio itaque facile in re dubia oriri potest, nam iis tantum suspensis, fluidus sanguis remanet, facies tumet, pleneque sunt colli vasa, qui Asphyxia emoriantur. Remoto itaque vinculo et Hydraulicae et Hydrostaticae leges, in integrum restituuntur,

"velut ursus

Obiectos caveae, valuit si frangere clathros."

HOR. Ad. Pis.

et sanguis sensim sensimque, infimum locum petet.

Dictum praeclare illustrare posset Doctus GULELMUS HARVEY, Magni viri ecce ipsa lucida verba: "Ego aliquando in cadavere humano noviter strangulato, intra duas horas a suspensione, aperto pectore et pericardio (antequam faciei rubor evanuerat), auriculam dextram cordis et pulmones, plurimum distentos et infarctos sanguine, multis attestantibus ostendi, praecipue vero auriculam, ad maximi hominis pugni magnitudinem, turgentem adeo, ut disruptam iri putares. Quae moles,



die sequente, refrigerato penitus corpore, et per alias vias cruore dilapso, detumescens evanuerat." (De Circ. Sang. Lugd. Bat. 1737, p. 148) Et argumento nostro adaptata videntur eiusdem verba (l. c. paulo ante). "Laqueo strangulatis et suspensis accidit idem, quod brachio ligato, ut trans chordam scilicet, facies, oculi, labia, lingua partesque omnes, superiores capitis, plurimo infarciuntur sanguine, maximo rubore perfundantur, turgescunt usque ad livorem. Huiusmodi cadaver soluto laqueo, quacunque positione collocaveris, intra non multas horas videbis omnem sanguinem, vultum et caput deserere, (num quoque e pedibus haerens?) et a supinis et a sursum positis partibus in pronas et subiectas, per poros cutis, carnis ceterarumque partium, suo quasi auctum, pondere decumbentem, et omnes illas partes infra positas, et cutem potissimum replentem, atro tabo colorare." Quomodo colli vasa, sanguine adimpleri, queant, videamus.

1°. Momentum quoddam Physicum agere incipit, ubi Carotides aut omnino aut pro parte intercludantur. Idem enim occurrit atque in Hydraulica illa machina, ab apparatus aeronautici inventore, MONGOLFIER, quondam (1797) detecta et Arietis hydraulici nomine, insignita. (Belier hydraulique = Waterram = Widder = Hydraulic-rem) cuius analogon eo frequentius, ni fallor, in mechanismo animali salutabitur, quo crebrius inquaesituri sint, quam hucusque quaesierint; pressio in carotidem (sive a fune, sive a larynge, effecta) quovis corporis suspensi motu, mutabilis, valvulae loco fungitur, adparatus designati, quem luculenter descriptum accurateque depictum, invenies in opere POUILLET-MÜLLER, (Lehrb. d. Phys., Bd. I. Hydrodyn.) Inde fortasse fit ut suspensi inter pendendum, nonnumquam magis magisque rubefiant.

2°. Si iugulares et carotides pro parte tantum comprimuntur, tunc tamen fieri potest, ut iugulares turgeant, quia et timor, et metus, et terror, properataeque funeris conscientia, cordis ictum abnorme accelerare possent, quo fit ut sanguis copiosior a carotidibus adducatur. (Patet enim carotides, eandem pressionem, et situ profundiori, et tunica crassiori, minus aegre ferre ac iugulares.) Carotidibus denique plane seclisis, tunicarum arteriosarum, propria et innata contractilitas, tunc quoque sanguinis liquorum propellet, et iugulares versus deiiciet. Quomodo autem inde elucet, quod post mortem contingere saepe vidi? Cordis, (quod maiores nostri "ultimum moriens") adpellabant, lenta fortasse contractione, parva sanguinis copia, in arteriam eiicebatur, quae, parietum contractilitate non cessante, ulterius propellebatur. Omnis contemplator vel speculator, qui obiecta, praesertim e ranis recens parata, semel microscopio subiecerit, phaenomenon miratus, obstupet. Post quartam horae partem elapsam, vesiculas sanguineas sub microscopio a tenuibus capillaribus propulsas, observavi. Tale quid, hic forsitan accidens, rem illustrare posset; — signum porro, — e colli vasis desumptum, pretio satis orbatum existimo, HARVEO iam docente, licet plerumque adfuerit, raro tamen forensi-medico datum esse, illud a se observari posse. Humanae enim naturae est, si quem suspensum deprehendimus, corpus statim e laqueo auferre resectoque fune, non praecipite capite dependere. Recte hinc, iam DE HAEN ostendit, duce GUALTERO VAN DOEVEREN — praeclarus ille Groningensis quondam, tunc temporibus, Leidensis professor — quam debili ac fallaci fundamento



illi niterentur, qui in suspensorum cadavere "ablato per carnificem fune, demonstrare annisi sunt, strangulationis effectus." Colli vasis valedicturus, unde abii redeo. Hisce scriptoribus hucusque fides deroganda videtur, contendere ausis, colli arterias venasve, impune vinculo subligari posse. HALLERUM aliosque iam retuli: mira confusio in omnibus antiquiorum scriptis, elucet; neque locum ligaturae dant, neque exponunt, utrum simul subligarint et arterias et venas, an singulas, (sic inter alios STOLTE (J. H.), Dissert. inaug. de Morte Suspens. Gron. 1766, in exp. 3, 4, 5) "canes, ligatis venis iugularibus externis et internis, necnon arteriis carotidibus, nec sopore, nec Apoplexia tentari, sed supervivere multas horas," — Vidimus antiquissimos nonnullos, carotides = somniferas vocasse. (RUF. EPHESIUS). Parum lucis invenio; — repeto Virgilianum illud — "Scinditur incertum studia in contraria volgus." — Alii, nimis fortasse tribuisse videntur, leviori carotidearum compressioni; ut eam variorum cerebri morborum panaceam, sive panacracon vocavere: inter hos prae aliis, vir clari nominis, CALEB HILLIER PARRY, (Memoirs of the Med. Society of Lond. 1792. Vol. 3. — Philos. Transact. for the year 1811. Part. I, p. 89.) adversus epilepsiae impetum, digiti ope, pressionem commendat, in carotideas arterias; ROMBERG auram epilepticam saepe irritam fecisse carotide digito compressa, affirmat: quod Prophylacticum vocat; hinc, infilici licet successu, LEWIS machinam quamdam invenit, huic usui inservientem (Conf. Diss. inaug. de compressione arteriarum carotidum ad complures morbos sanandos, utilissima. Berol. 1846.) — Rectissime tamen M. H. ROMBERG (Nervenkr.-Epil. Zust.) "Uns steht in der Compression der Carotiden..... ein Weg offen, auf welchen wir unmittelbarer auf das Gehirn einwirken können als auf jedem andern."

**SINUS CEREBRALES ET VASA SANGUIFERA, CUM MENINGUM TUM CEREBRI.** De cerebri sinibus et ventriculis, pauca dicenda sunt. Suspensorum obductionibus perlectis, statim sub oculos cadit, hanc hyperaemiam potius a priori constructam esse, quam, natura demonstrante, indicatam. ZACCHIAS cerebrum hyperaemicum non commemorat, quia fortasse, illius temporibus aperiendi Cranii non ita saepe, data fuerit opportunitas. In muliere, quam duo viri manibus, constricto collo, suffocaverant, LITTRIUS (de Littre) sanguinem effusum supra basin cranii et ventriculis, invenit. (Hist. de l'Acad. R. des Sc. 1704. Obs. Anat. 2.)

LANCISIUS (o. l. obs. IV, in fin. ad n°. 8) "secto cranio, — sunt verba LANCISII, — pia mater, suis tumentibus, ex fluido sanguine vasis, occurrit, cumque amputarem portionem corticalis et medullaris cerebri partium, vidimus (ut apud strangulatos,) puncta sanguinea, spisso agmine, candidam medullae substantiam variegare. Pallidam serositatem, non apertis solum ventriculis, prosiliisse, sed ad usque spinalem medullam redundasse, deprehensum fuit;" vox illa ("ut apud strangulatos") magni hic est momenti: significat enim se "apud suspensos" — quod strangulatorum = synonyma apud LANCISIUM —, semper illud signum sibi subposuisse: at recentiores simul inde discant, quod suspensorum affertur non fallax symptoma, iam antiquis visum esse, etiam in non suffixis saepe salutari solere. Agitur enim apud LANCISIUM, de repentina morte, ex convulsione thoracis, praecordiorum, meningum ac totius corporis.



PETRUS NANNIUS, ut docet MORGAGNUS, in suspenso fure invenit sinum longitudinalem meningis crassioris, disruptum. (Ep. Anat. l. art. 38.) Adeamus ipsum MORGAGNUM. (Ibid. 7.) Invenit sanguifera, crassioris meningis vasa, nonnihil turgida (Art. 25.) „Paucus sanguis, — sic ait, — erat in vasis cerebri, egregie alioquin se habentis.” porro (Art. 38.) „Si quando aliquid sanguinis influere hunc pergat, per carotides minus abstrictas, quam sint iugulares, ea (sanguinis) copia cumulabitur, unde mox vasa dirumpantur, caet.” casum itaque speciale iam affert, in quo cerebrum offendi solet, sanguine scatens. — DE HAEN (o. l. p. 165.) „advertimus, — inquit, — suspensorum aequae ac submersorum cerebrum, quoad eius ipsam quam vocant substantiam, ventriculos, sinus meningesque ipsam plerumque referre sanitatam,” paulo superius (p. 153.) „in canibus meis suspensis, — sic ait, — cerebrum vix sanguinem habuit, aliquando autem inundabatur ab eodem.” AMUSSAT suspensi, cadaveris sectione habita, vidit (Anno 1828) „les veines au cerveau gorgées, ainsi que les veines de la dure mère, — le cerveau piqueté.

In annalibus (d'Hygiène. Oct. 1832.) obductiones duas, a FLEISCHMANN allatas inveni, ubi cerebri vasa sinusque, sanguine scatebant: ORFILA in necropsiarum (Traité de Med. lig. 5 II.) secunda, cruoris parvam copiam observavit; in nona, multum sanguinis, sero exsudato: in decima prima, meninges sanguine iniectas, in decimaquarta denique; parcam sanguinem. ALBIN GROS (Anw. d'Hyg. 1835. Janvier.) effusi aliquid sanguinis invenit quidem, sed ortum ducit ex vasis, ad cerebri superficiem, decurrentibus, cranioque vi aperto, dilaceratis. Nonnulla ecce data, quae, licet non absolute tractata, aequae verumtamen probare queant ac sequentia, eodem modo, quamvis non absolute tractata, supra allatis attamen plane opposita, sic v. g. MORGAGNUS (Ep. l. Art. 6) suspensi sepulchretum referens: „interius nihil adnotatu dignum”. — Vir qualis MORGAGNUS, cranium semper aperire solebat. (Art. 8.) „Cerebrum nihil quantum indicare sensus poterant, ab naturali constitutione discrepabat.” (15.) „Nullum intra cranium vitium inveni.” (26) „In cerebro nihil fuit adnotatione dignum,” et tandem (Art. 28.) „In cerebro sanguinem effusum non fuisse, neque eius venas sinusque, nec eas in quas hi desinunt iugulares venas internas, exsistente sanguine tunuisse.” Locus apud DE HAEN, modo memoratus, hic quoque relegendus. In Observationibus Academicis (C. XIV § 21, n°. 10) de GUALTERO a DOEVEREN legimus, canis cranio aperto: „laqueo igitur dein suspensus canis, videndi causa num per strangulationem, in capite accumularetur sanguis, nullum observabamus copiosorem sanguinis effluxum, ex durae matris (laesis) arteriis;” et n°. 14 „cum iam cessarat haemorrhagia, laqueus collo iniectus et respirationem intercipientis, non resuscitabat sanguinis profluvium ex dura matre,” in quod experimentum STOLTE (vide Diss. de morte suspens.) quater eodem cum effectu repetivit. DE HAEN (o. l. p. 161) in suspenso canem ubi per illaqueati loci angustiam, haud ultra, sive stilum, sive id aerem, tubo inspiratum, permovere potuit, invenit, „meninges naturales in ambas, vacuos singulos ventriculos, plexus choroideos naturales”: tracheam modo tenuiore laqueo, non chorda crassiore recte arctare potuit. GUYON (Revue Med. Sept. 1823.) quatuordecim suspensorum obductiones refert, ubi neque in sinibus, neque in vasis, neque in



ipsa cerebri substantia propria, crebrior sanguis occurrerit, quam in statu normali salutare soleamus. Huc referendi quoque casus a KLEIN (HUFEL. Journ. Nov. 1816) et HINZE (ibidem, Febr. 1819) descripti; huc referenda viginti unorum suspensorum, historia, de quibus RICHERNEAU agit (RUST, Magaz. Bd. XIX, Hft. 2.) et quae SCHALLGRÜBER (Aufs. u. Beob. im Geb. d. Heilk. S. 94) commemorat. ORFILA in necropsiarum 1<sup>a</sup>, 13<sup>a</sup> et 15<sup>a</sup> (o. l.) sanguinis iusto maioris copiae, ne vestigium quidem invenit. De caeteris descriptio paululum accuratior desideranda videtur. ESQUIROL denique in casu, toties iam memorato, cerebrum anaemia affectum, invenit. — In suspenso meo primo; galea aponeurotica remota, caerulea, e vulneris marginibus a serrula facti, sanguis continuo effluebat, isdem e diploe cranii, ossium rubrorum; et dura mater et reliqua vasa, eadem sanguinis copia dolebant, quamvis sanguinis, passim diffusi, eandem causam accusare vellem quam ALBIN GROS, (vide supra). Totam substantiam cerebralem, vidi punctatam (piquetée.) (Reliqua notatu digna postea dabuntur.) Secundi suspensi (J. H. K...R), capitis integumenta (sub capillis,) praerubra erant. Diploe vero ossium cranii, et sinus venosi, prae sanguine non admodum aut referti aut distenti erant; ad cerebri basin verumtamen, omnes venae quam maxime tumebant, dura mater pallescebat, pia meninx mediocrem sanguinis copiam tenebat. Arachnoïdea albicans colore, cerebri substantia dura, alba, „piquetée”; plexus chorioidei sanguine tumentes, cerebelli substantia eandem referebat naturam: sanguinis effusi nullibi vestigium videre erat. In cuniculis et muribus suspensis, cerebrum semper inveni, parca sanguinis copia gaudens. — Quid ex omnibus hisce allatis deducendum: 1°. Sequitur: ut qui cerebri hyperaemiam stabile signum, durante vita, suspensorum dicant, plane errent. 2°. Ut qui in suspensis symptomata observaverint, dum non significarint quid haecce hyperaemia aut sanguinis effusio, ab illa differat, ex aliis causis orta, nihil probaverint. Diu enim iam scire hyperaemiam ex variis causis variisque vulneribus, cerebrum afficere posse, strangulatione non excepta, quae in caede suspensionem quam saepissime praeceat necesse est: — status, congestivus dictus chronicus potatorum, cerebri, saepe iam adest, antequam lethifera manu laqueum sibi circumiicit; et si aliam conditionem vis, quae vivum suspensum denotare posset, inspicias aureum quoddam libellum, ubi multa symptomata, suspensorum, specifica dicta, uno ordine referantur et ibi neque de suspenso, neque de strangulato, neque de submerso, caet. ullus seritur sermo, sed hyperaemia pulmonum emortuorum, praeclare designatur obductio, quod affirmare possem, sectionibus, quibus interfui, doctentibus: „Nach dem Tode durch Lungenhyperaemie findet man die Lungen dunkelroth, gleichmässig mit Blut gefüllt, knisternd; die Bronchialschleimhaut geröthet, in den Bronchien und der Luftröhre schaumigen, oft blutigen Schleim, das Herz und die Venen der Hirnhäute, strotzend mit Blut gefüllt, in dem Hirnventrikeln oft serösen Erguss; Gesicht gedunsen, blau; Haut livid, mit zahlreichen Todtenflecken (AUG. FÖRSTER, Lehrb. d. Path. Anat. Ed. 3<sup>a</sup>. p. 245 seq.) nihil hisce dictis addendum habeo. 3°. Ut, ubi vasa, sanguine repleta, notata occurrant, ibi plerumque non datum esse, quomodo cadaver inter secandum positum fuerit; lex enim hydrostatica, gravitati con-



iuncta, sanguinem fluidum, facile ad encephali venas, inferius sitas adducere potuit, quod eo facilius, quo saepius contingat, ut suspensus, resecto fune, humum inponatur. Suspensus meus iam per triduum in sandapila „plebei funeris arca” illa jacuit; alius per aliquot horas; hinc fortassis levis haecce hyperaemia. (Conf. porro FLEISCHMANN, HENKE's Zeits. Jahrg. 2, p. 334.) 4°. Ut in suspensis multo frequentius cerebrum anaemicum offendi solet, quam et cerebrum, et meningis, et vasa sanguine scatentia (1).

Aliae verumtamen sunt causae, hucusque, ni errem, pretio habitae, iusto minori, in vivorum suspensorum obductionibus, unde cerebri hyperaemia facilius oriri posset. Quantopere vita haecce humana huicce hyperaemiae sit obnoxia, satis notum. Prae timore, praegaudio, praerira, alius rubescit, pallescit alius: „Quidquid agunt homines, votum, timor, ira voluptas, — Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli!” cum Satyrico per excellentiam exclamare juvat. (JUV. Sat. I, 85.) Usus vel potius abusus spirituosorum, studia assidua, pervigilium, corporis pronatio quidem („Le sang me monte”) caet; sanguinis ad caput adfluxum incitant: mente alienati, — quoties ii se suspendunt! hyperaemiae cerebri, quam saepissime, chronicam formam ostendunt. Hyperaemia, mortis ex inanitione prodromorum, plerumque comes, anaemiam lethalem praegressam, febribus haud raro accedit; Et laetitia festiva, et amor frustratus, aut hyperaemiam aut contrarium efficiunt; cerebro vero intacto, raro transeunt: — sed — „relata refero.” Quaestio illa est, num, si varia haecce hyperaemiae causa, durante vita extiterit, nervorum potentia, etiam post mortem effectum, i. e. hyperaemiam ostendere posset. Ex variis sectionibus, quas institui, deductiones, mihi veluti adnentes, cerno: quod si non falsum sit, sequitur ut in hyperaemia, tam parca stabilitate dolente, nihil videamus praeter symptoma, quam minime a laqueo constricto pendens; si concedis, ulterius procedam. — Si cerebrum hyperaemicum in iis occurrit, de quibus dubitari nequeat, utrum sortem manu quaesierint, tunc fortasse ipsa cerebri congestio et irritatio, causae accusandae sunt, cur se suspenderint. „*El Contrario*”, ut dicunt, ratiocinari videor, dicens: quia in hisce cadaveribus datis, nimius sanguis in cerebrum adfluxit, dum inter vivos, hinc fata manu arcessere cupidi, forte aut casu, a laqueo auxilium expetere: sic multi quoque, a carnificis manu suspensi, aut timore, aut fame correpti, sunt: mors enim adpropinquans, ventriculi nervos ingrate stimulare solet. Impavidi LEONIDAE audaciora tempora, longe iam remota. Paucis datum est, serena fronte, instanti morti obviam ire; hinc recte JEAN-JACQUES: „Celui qui feint d'envisager la mort sans effroi ment; c'est la grande loi des êtres sensibles, sans laquelle toute espèce mortelle, serait bientôt détruite.” Stimulantibus, ad omne grave inceptum, semper opus fuit; hoc magni antiquitatis viri iam intellexerunt. Hinc Graecorum Romanorumque

(1) Qui scientia monstrante viam, de cerebro in suspensis semper hyperaemico, primus dubitavit, fuit, ni fallor, REMER (HENKE, Zeits. p. 57. Jahrg. II.) Docuit in Apoplecticis suspensis, cerebrum semper offendi sanguine scatens, cruore ipso nonnumquam extravasato. Asphyxia mortuos e contra „keine Anhaufung von Blut in dem Gehirne darbieten,” — Consonus illi est FLEISCHMANN (Ibid. p. 323.)



cohortes, ex acerbissimis proeliis, semper victores prodire, donec, Oraculi effatis incitati, ad certamina stimulabantur.

Hinc terrificus ATTLA, "Flagellum Dei, Fax et Malleus orbis," Romanorum favente sole, occidente, simulac fortuna prospera, vultum mutare coeperat, cum sagittiferis sed incensis Hunnorum turmis, omnium tandem sese victorem praestitit: hinc sagax MAHOMED, cum tremendis agminibus, ad ultima tentanda paratis, totum terrarum orbem adgredi ausus est: quid mirum: audacissimo enim, fatali ruina raptò, pulcherrimam puellam posthac, virtuti proemium, KORAN proposuerat.

— him the maids of Paradise,  
Impatient to their halls invite,  
And the dark Haeven of Houris' eyes;  
Om him shall glance for ever bright.  
They come — their kerchiefs green they wave,  
And welcome with a kiss the brave! (BYRON, The Giaour.)

Hinc sereno voltu, magni NAZARENI, primi sectatores, atrocissima supplicia subibant. Hinc Normannorum duces praedatores, tandem devicti, fronte placida, morti succubere. Regnum enim ASGARD, Olympus ille borealis, cui praeerat ODIN, sibi promissum existimantes, potentis huiusce stimuli, vim experti sunt. Testetur prae reliquis, canorus ille REGNERUS, Asperi-bracatus cognominatus, fortissimus ille Daniae quondam rex, qui ab ELLEN, Scotiae rege tandem captus inque foveam, anguibus refertam, deiectus, viperinis morsibus lethiferisque vulneribus, quamvis confossus, hilari voce, cantum cecinit, futura saecula, in perpetuum, dulcedine rapturum (1); testentur Turci de quibus supra fuerit sermo; testetur magica illa Oriffamma, in turbata Gallia a tenera puella quondam evoluta: testetur denique intrepidus CROMWELL a JEAN-JACQUES pro viro, omnium mortalium, perspicacissimi ingenii habito, qui Litterarum Sacrarum stimulante et roborante vi ipse imbutus, Codicem huncce, agminibus tradidit, nocturna diurnaue manu, usque tractandum. Monarchiam regiamque superbiam, e summo rerum fastigio deiecit "praecipitemque inmani turbine adegit." — "Corruptio optimi pessima." (PLATO.)

Sed quid moror? — satis demonstratum est, omnes homines, absque stimulo, non laeto animo, morti sese obviam dare. Male hinc C. ALBERT. "Pourquoi faut-il que l'homme pleure à son couchant, comme

(1) Conf. *Biarka* — *maal sem orte Ragnar Lod-brog.*

i. e. . . . Cantus quem cecinit Regnerus Asperi-bracatus: et prae aliis strophæ ultima pulcherrimi huiusce carminis. In EDDA. vetus. A. D. 866. AGNAR et HUBBA patris cladem ulturi, magicum illud vexillum RAEFEN vel RAUNFAN (i. e. RAVENVAAN, quod corvi figuram ostendebat in-pictam.)

Wrought by the sisters of the Danisch king,  
Of furious Ivar in a midnight hour.....  
The demons of Destruction, then they say,  
Were all abroad; and mixing with the woof,  
Their baleful power; the sisters ever sung;  
Shake standard, shake this ruin on our foes,  
rapaci praedonum catervae iterum expandere, regionemque, Northumberland, inde dictam, invasere, affixere.



il pleurait à son aurore? — Imitons l'exemple de tant de sages vieillards dont s'honore l'Antiquité: HESIODE, HOMÈRE, DÉMOCRITE, PLATON et les Patriarches si renommés, qui habitaient autrefois les contrées de la Palestine, voyaient approcher la mort *sans effroi* (unde patet?) et se retiraient en paix dans le sein de leurs ayeux. ANACRÉON sur les bords du tombeau, badinait encore avec les Grâces: une joie innocente et pure réchauffait les glaces de son âge: et couronnait de roses ses cheveux blancs. (Mém. de la Soc. méd. d'Emul. T. I) Multos huiusmodi senes libidinosos vidi, quos metus mortis tamen terrere solebat.

“Rigidi servator honesti,” severus Uticensis ille (Blind to truth, relentless CATO dy'd, — Nought could subdue his virtue, but his pride! POPE, Ess. on Sat.) de patriae salute desperatus, necem sibi conscivit! — PLATONIS dialogo de animi immortalitate perlecto: tunc demum, annoso Falerno indulgens, mortem adiiisse dicitur. Quid miserrimum illum Johannem Jacobum ROUSSEAU referam, qui mortis diu iam cupidus, tandem caëffa Arabica sumta, cui mox veneni largam copiam inmiscuerat, mortem adire ausus est,

he knew,  
How to make madness beautiful, and cast,  
O'er erring deeds and thoughts a heavenly hue  
Of words, like sunbeams. — BYRON, Childe Harold, C. III, 77.

(Conf. DUSSAULX, Rapports avec J. J. R., BERNARDIN DE ST. PIERRE, Etud. de la Nat. Mad. DE STAËL, Lettres sur R. — BUNGENER, Julien. — Revue des deux Mondes, 1851.)

Ad argumentum tandem redeamus: “Tâchons de jeter quelques fleurs sur les épines de la vie!” (ALIBERT).

Tempora recentiora alia signa addidere, passim iam in scripto meo relata, passim interiecta et descripta. Hisce non adnumerandum novum aliud signum, quod ingratis perscrutatis, plurimis antiquis scriptoribus, nullibi ita memoratum inveni, ut illud prae alium notandum iuberent, lacerationem partialem specto, aut vulnerationem quamdam Arteriarum Carotidearum.

ARTERIAE CAROTIDEAЕ, PRO PARTE LACERATAE. — A. D. 1828 viri cuiusdam cadaver dissecuit AMUSSAT, qui in sylva Vincenniensi, arbori sese suspenderat. (“Ubi cadaver, ibi congregantur corvi.” Bipedes Platonici non Diogenici, puta.) Arteriae tunicarum duas internas exacte persectas invenit, veluti post subligationem, bene constrictam. Forenso-Medicorum multi, novi criterii cupidi, utraque manu, novum signum adripebant, inter quos KLOZ et ALPHONSUS DEVERGIE, qui in Annalibus Hygienae et Medicinæ legali dicatis, (Oct. 1829) rem adcuratius inspexere. In tredecim obductionibus semel tantum notam salutavit, quam invenit in carotide sinistra, a laeui prementis vi, praesertim affecta. Tunicae modo internae duae, (sit fas tres tantum tunicarum ordines accipere,) cultro veluti persectae fuerant, et vulneris labium superius, paulisper sursum retrusum inveniebatur: satis dolendum est, DEVERGIE semel tantum, ab AMUSSAT observata, confirmata invenisse, quamvis semper, qua potuerat vi, laqueum constrinxerat. In hunc finem MALLE in 80 cadaveribus experimenta instituit, et bis tantum, fune bene adstricto, cartilagenes



inter cricoideam et thyreoideam, coarctante, hance rupturam observavit. Rem tetegisse sufficiat. Conf. MILDNER (Prager Viertelj. Schr. Bd. 27. S. 157. A.º. 1850). „Es geht nicht an, diese Trennung für einen Beweis anzusehen, dass das Erhängen, während des Lebens, stattfand.“ HYRTL (Top. Anat.) In suspensio meo primo, rubram vidi quandam sugillationem arteriae carotidis dextrae, pariete insitam, ne quidem e longinquo, ab AMUSSAT et DEVERGIE dictorum, tunc subitit recordatio, qui in casu huiusmodi, arteriae parietem semper pallentem invenere: primo mirari, novo criterio in re ambigua invento, gaudere, de perspicacitate in investigando satis bene cogitare, medici-forensis in posterum, laudem meruisse, rursus contemplari, rursus lactari, rursus mirari, caet. Sed — cultro arrepto, quid vidi? nihil praeter atheroma iam obortum, quod eum ipsum locum iam adgressum erat, ubi plerumque salutari solet. Aedes aerae omnes in vile Atheroma, sic abiere — „sic transit gloria mundi“ (De argumento nostro conf. porro DEVERGIE, *Medicine légale*, T. II. p. 490.) Quod de arteriis, quodammodo et de venis valere posset; secundi suspensi (J. H. K....) iugularem venam dextram, sanguine repletam inveni, lumen vero ipsius, eo ipso loco, laqueo subposito, angustius, exiguius vel arctatius erat, quam reliquae venae, quod, ni erro, non facile in suspensio cadavere videbis: quod ad me, nusquam huiusmodi quid, ibi observavi.

DIAPHRAGMA. Aliud symptoma ex diaphragmate desumptum, hisce coniungo, quod iam ex aevo remotiori originem deducit. Legi enim (Ephem. nat. curios. Dec. I. ann. VII. Obs. 32. Anatomie Juris) de Diaphragmate, „quod in suspensio ut plurimum versus Thoracem retrahitur.“ Vivorum suspensorum hocce signum, MORGAGNUS non adfert. (Ep. Anat. Med. 38. Art. 34. extr.) In virgine, viginti annos nata, „cui ab hydrope vivendi finis est factus, diaphragma altius in thoracem adscendens“ invenit. DE HAEN (o. l. p. 173) de homine quodam submerso locutus, altum in pectore locum, diaphragma habuisse testatur. MICHAELIS ALBERTI (T. I. P. I. C. II. Jurisp. Med.) de diaphragmate loquitur quod „in suspensio ut plurimum versus thoracem retrahitur;“ — ni mirum: — „ceux qui ont souvent disséqué le diaphragme savent bien, qu'il est toujours tendu et poussé vers la poitrine, tant qu'on n'a pratiqué aucune ouverture, ni à ce muscle, ni aux parois thoraciques, et que cette tension cesse de suite, si on a la maladresse de le percer,“ — non alio fieri potest. Pulmones elasticae aërem expellunt, — inde oritur vacuum — Natura vero, *horret vacuum*, — ut recte GALLILAEUS GALLILAEUS: diaphragma adscendit itaque, vacuumque implere conatur et versus Thoracem propellatur necesse est, adiuvante musculorum abdominalium vi, in intestina gasis plerumque extenta, agente: in neonato qui uterum praemature lique-rat, et imperfecte spirarat, SCHLEGEL (HENKE, Zeitschr. Jahrg. I. Hft. 4) diaphragma sursum ductum invenit. Omnium neonatorum qui nondum aut imperfecte spiraverant, quae vidi diaphragmata, semper locum altum tenebant; hinc nequaquam mirabar in suspensio meis, tensum diaphragma observans. Isdem sonus, veluti sibilans, qui variorum foetuum, puncto diaphragmate, toties aures tetegit, hic quoque, sed multo raucius oriebatur; caeterum, necesse esse diaphragma eo magis antrosum pellatur, quo ulterius, cadaverica dissolutione, gasorum in tubo



intestinali procedat distensio vel expansio, adduci non opus est. Hinc forsitan ORFILA ne suspensorum diaphragma intuearis monet. In laqueatis cuniculis et submersis muribus idem semper observavi. Ex diaphragmatis conditione, nihil itaque concludere fas est.

**MUSCULORUM LAQUEO SUBPOSITORUM CONDITIO.** Aliud signum hic memorare iuvat e musculis desumptum, et ab ORFILA, ni fallor, nusquam speciali nota dignum habitum; non ago de ligamentis Hyoidi ossi affixis, aut laceris aut extensis, sed nonnullos musculos aut compressos, aut veluti persectos specto, qui tunc normalis musculi Omohvoidei ad instar, biventre quasi, utroque ventre, intermedia substantia, membranacea veluti, sibi coniuncto. Apud LIEUTAUD (Hist. Anat. II. 294) legimus, se musculos Sternomastoideos a fune dissectos invenisse. MORGAGNUS (Ef. XIX. Art. 12) de musculis disruptis agit, sed multo accuratius Art. 13; dicens "suspensus laceros habuit, musculos sternothyreoideum et Hyothyreoideum, ut membranacea tantum substantia illorum loco remaneret." Apud HYRTL (Top. Anat. Ph. I. p. 281. Ed. 2) de Sternocleidomastoideo, Jegi: "Ich habe ihn bei Erhenkten durch den Strick entzweigedrückt gesehen." De hocce argumento plura allata non inveni, nisi huc referas locum apud FLEISCHMANN (Ann. d'Hyg. caet. Oct. 1832.) "Après avoir soulevé les téguments le long de ses (l'empreinte) bords, on reconnaît qu'elle s'étend jusque sur les parties musculaires subjacentes, et qu'elle existe même dans leurs tissus. (Nekrops: I). Vel alium locum: "au dessus de l'impression du lien, le tissu cellulaire est sec et décoloré; les fibres musculaires correspondantes des muscles peauciers, offrent le même aspect; elles sont comme exsangues et desséchées." (Vid. ORFILA, Nekr. 14.) In hunc finem ipse tria cadavera in altum sustulit, ter autem irritus erat labor, "reluctante natura." Fieri potest ut criterium minus fallax hic lateat, fieri potest ut, experientia magistra, quondam eluceat, suspensionem, durante vita, id modo efficere posse, sed tunc quoque symptoma utpote "rara avis in terris, nigroque similima cygno," semper huiusmodi manebit, ut, venae coarctatae ad instar, (de qua supra) parca lucis copia inde exoriatur. Suspensi mei primi, musculi sterno-et cleidomastoidei, in parte dextra sub eo ipso loco, a laqueo presso, biventre erant; si quis, causae mortis nescius, musculos inspexerat, mirum naturae lusum, fortassis salutasset. Secundi suspensi (J. H. K...R) musculi validissimi sternohvoidei, sternomastoidei, et cleidomastoidei, laquei impressionis loco, raspacci sicci-que tactu, offendebantur, reliqua ipsorum substantia, quam glaberrima, colore parum inmutata; omohvoideus musculus dexter, vallem quasi, ostendit, raspaceam asperamve tactu. De argumento tantum.

**DE LUXATIONE VERTEBRARUM EARUMQUE FRACTURA.** Partem adgredior gravioris momenti, illam puta, ubi sermo erit de vertebra luxatis, fractis, caet. de musculis, ligamentis caet. laceratis, quae in collo occurrant. In Historiae agros iterum praedatum ire iuvat.

Nonnullae quamvis exstant observationes, ubi post mortem vertebrae quondam fractae, vel luxatae, redintegratae inventae sint, exitus tamen, plerumque lethalis habetur. Voces quales: "hij heeft zich den hals, den nek gebroken, halsbrekenswert, caet. quae in variis linguis occurrunt, iam diu in proverbium abiere et "Mortis" synonyma habi-



tae sunt. Sic apud veteres, promiscue occurrunt voces, quales "fauces collum, guttur, colla laqueo elidere, frangere," pro strangulare, suspendere caet. synonyma habitae. Sic v. c. M. TULLIUS (in Verrem V. 42), "Praetorem tu accusas? frange cervicem!" (in Vat. IX. 11.) "Fregerisne in carcere cervices ipsi illi Vettio?" Sic SALLUSTIUM per errorem loci forsitan (Cat. 55) de LENTULO, ex gente Corneliorum, scribentem videmus, "Vindices rerum capitalium (illi) laqueo gulam fringere, ita exitum vitae invenit" (Gulam vero ARISTOTELES, De Anim. I. 16. *οισοφάγον* dicit. SALL. tracheam, illi comitem, significare voluit.) Sic HORATIUS, (Ep. III.) "Parentis olim si quis impia manu, senile guttur fregerit." — Sic LUCRETIIUS, "Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit." caet.

"Singula quid referam?" memorata ad indicandum sufficiant, antiquitatem huiusmodi vulnerum, exitum lethalem, sibi persuasum habuisse, cui opinioni favet quoque ORFILA. Quenam sit illa mors, agitetur quaestio necesse est. Neurologiam praeteriens, dixisse sufficiat medullae oblongatae pressionem, mortem, ex functionis pulmonum paralyti, i. e. suffocatione, subsequi. (Conf. LEGALLOIS, FLOURENS, MAGENDIE, DESMOULINS, DESAULT, DITMAR et VOGEL, VAN DEEN, SCHILLING, alii.) Num in suspensis mors ex fractis luxatisve vertebrae colli, subintra, alia est quaestio; antequam pergam illud animadvertendum habeo: processus odontoideus Epistrophaei, ad basin si fractus sit, ligamentorum vi, locum tamen tenebit, quod CLINE observavit in casu notatu dignissimo, ubi iuvenem pingit, qui post fracturam dentis Epistrophaei, vitam per annum adhuc protraxit, tunc denique, acuto morbo correptum, morti succumbentem. Si autem a processu illo dislocato, medulla oblongata premitur, mors subito intrat, ut observavit ELSE in muliere, cui mercurius ad saturationem usque, administratus fuit; basis dentis fracti, capite casu pronato, in medullam pressit. Exempla, digna quae legantur, quaerenda sunt in appendice, Gallicae versionis operum ASTLEY COOPER subiecta (p. 145.) (Conf. porro casus notatu dignissimus luxati Atlantis, cum fractura processus odontoidei a viro Doct. BAARSLAG Jre. in muliere, 65 annos nata, observatus, et litteris traditus in Diss. inaug. p. 18. Medullam in loco vertebrae primae, in angulum fere rectum reflexam invenit; substantiam vero normalem (?) p. 22.)

In hominibus, qui se ipsos laqueo suspenderant, MICHAEL ALBERTI (o. l. T. I. P. I. C. SS. § 14. p. 225. Hall. 1793) symptoma quam rarissime observavit. (locus notatu dignissimus.) "Vertebrae colli praecipue tunc luxatae reperiuntur, quando eiusmodi homines sub manibus alterius aut carnificis suspensi fuerant, qui pro acceleranda suffocatione, caput antrorsum deprimere solet, ut propterea vertebrae colli tunc luxentur." Vocem illam "praecipue" effiat paulisper corrumpere, ex sequentibus pateat. PALFINIUS (Anat. d. corps hum. V. 8) aliique dicunt, se huc usque semper deprehendisse vertebrae colli primam, a secunda omnino separatam; rem verumtamen non ita sese habere, facile contendit potest, dummodo PALFINIUS numquam suspensorum cadavera inspexerat, nisi quae sagacissimorum carnificum manu, morti tradita essent; ast alio loco, isdem PALFINIUS, postquam multorum suspensorum cadavera, a Newgate, in Nosocomium Bartholomeicum translata, cultro perscrutatus erat, rarissime se vertebrae luxatas in-



venisse testatur, tunc temporibus attamen carnifices ita dictum "wristed motion" vel torsionem, victimis, generi humano vindictam, morte praebentibus, imponebant.

WEPPERUS (Exercit. de loc. affect. caet.) causam existimavit luxationis vertebrarum, "quum suspensorum humeris insultat carnifex, ac pede, caput in transversum agit," sed neque in usu ubique est, et ubi est, ibi CULMUS (o. l.) negabat adeo se luxationem invenisse; COLMUM recte observavisse, postea adfirmabitur. Neque MORGAGNUS, neque VALSALVA in suspensis, vel fractas, vel luxatas invenere vertebrae, quamquam MORGAGNUS alio loco "causam mortis suspensorum quaerendam esse — affirmat — non in iis quae interdum, sed quae semper, aut fere semper et cito interimant, uti est suprema vertebrarum luxatio." PARÉ (vide opera omni.) luxationem semper a se observatam affirmat, uti et FORTUN. FIDELIS (o. l. Lib. IV.) Apud HALLERUM locum inveni, speciali nota dignum, ad quem postea revertendum erit, ubi sermo est (Elem. Phys. T. III. § 19) de strangulatis, qui post satis longam moram refocillantur. "Minus — sunt verba HALLERI, — mirum est, adeo convalescere, resecto fune, vena incisa..." Florentiae adeo vulgo redibant ad vitam, ut necesse fuerit mutare, mortis genus et luxare vertebrae." — Dolendum est, ut addere neglexerit, qui id postea factum fuerit; rectius SROLTE (Diss. de mort. susp.) "neque vertebrae luxari posse a suspendio, neque diffringi," dicit. DE HAEN (o. l. Sect. IV. § 2.) "Alii non respiratione penitus intercepta, suspensos mori, sed vel fractura vertebrarum colli, ligamentorumve earum, eos quidem mori asserunt, alii hanc fracturam non negantes, iis in regionibus, ubi carnifex in suspensi occupat, pedibus insultare dicitur, non admittunt eadem, quibus in locis id carnificum mos non est." Sic verba, nimia fortasse de argumento nostro facta sunt, sed opinio generalis, solo PALFINIO amicisque exceptis, luxationem vel fracturam, plerumque vi adscriptis, ab aliena manu inlatae. Hinc DE HAEN, rem hisce verbis resumit, (o. l. p. 165) "Clare intelligimus, mortem suspensorum a luxatis fractisque colli vertebrae non fieri, etenim validius coagmentatae vertebrae sunt solidioraque ipsorum corpora, quam ut id frequentius contingere posset, modo carie semi-exesae non essent, ut non esse in plerisque certum est; praeterea qui haec statuerunt, id ex carnificis, facto cum pedibus suis, in iugulum furis insultu, sic autumarunt; haud scite tamen, non enim causam mortis universalem ex eo explicare debuissent quod nonnullis in regionibus fit, sed ex eo quod ubique, ilico enim claudicat expositio iis, apud quos huiusmodi carnificina insultatio, consuetudinis non est. Tandem nulli bestiarum nostrarum talem mortis causam adfuisse, colli pertractatio, forma longitudoque probarunt." — Excuset benevolus Lector, haecce citata, longius quam fas videtur protrahat, quod ipsi significare volui, iam clare significatum inveni; accepi, Lectorique reddidi, et magni viri dictionis perspicuitate raptus, voluptatem, qua ipse ego, inter legendum fructus sum, aliis quoque praebere volui. Antiquiores itaque neque luxationem, neque fracturam, apud suspensos denotarunt, paucis viris exceptis; videamus quaenam recentiorum fuerit opinio? Quum machina lethifera, a GUILLOTIN suo nomine insignita. "Tunc brevior dirae mortis aperta via est" (ALB. TIBULLUS) per totam FRAN-



CIAM triumphum nondum peregisset, LOUIS (Oeuvres de Chirurgie, p. 313) saepe data fuit opportunitas, carnificis Parisiensis peritiam, mirandi, qui postea certiozem eum fecit ut, fixo capite, variis rotationibus et torsionibus, truncum afficiens, vertebrae luxaret; ecce ipsius verba quibus rem depingit: « A Paris un pendu a presque toujours la tête luxée, parce que la corde placée sous la machoire et l'os occipital fait une contre-extension. Le poids du corps du patient, augmenté de celui de l'exécuteur, fait une forte extension. Celui-ci monte sur les mains liées du patient, qui lui servent comme d'étrier. Il agite violemment le corps en ligne verticale, puis il fait faire au tronc des mouvements demicirculaires, alternatifs et très prompts, d'où il suit ordinairement la luxation de la première vertèbre. Dès l'instant, le corps qui était raide et tout d'une pièce, par la contraction de toutes les parties musculuses, devient très flexible; les jambes et les cuisses suivent alors tous les mouvements qu'on donne au tronc et c'est alors que l'exécution est sûre.» (1) — Mox locum hunc iterum tractabimus. Neque MACKENSIE, neque MONRO, licet singuli suspensorum cadavera, numero quinquaginta maiori, perscrutati sint, vertebrarum colli huiusce generis, laesiones, unquam invenerunt, sed carnifices Anglici « coup de grâce » dictum, inferre non solent. PETIT (Maladies des Os. T. I. c. 11) rem accuratius adumbrat. Necessè esse concludit processus odontoidei luxationem, in suspensis semper oriri. HYRTL (Lehrb. d. Anat. d. Menschen, § 117) a PETIT effatum, pro vero habet dummodo carnifices Gallici eodem modo quo Ungri operati sint. In suicidis per suspensionem, nunquam a RUDOLPHO WAGNER luxatio offendebatur; nunquam a docto DE RIEMER qui centum et duo suspensorum cadavera disseverat. (Conf. Dr. EBEL, Bad. Annal. d. St. Arzneik. IX. 2). Magni itaque faciendae est vis, aliena manu inlata. Hinc HYRTL (l. c.) « Ich habe an zwei Leichen gehenkter Mörder, ebenfalls keine Zerreiſſung der Bänder des Zahnes beobachtet, möchte jedoch die Möglichkeit derselben nicht in Zweifel ziehen, caet. PETIT könnte somit wohl Recht gehabt haben. » Quod ad me haec verba non omnino consona videntur cum iis, quae in eiusdem viri Anatomia Topographica (Th. II. p. 168. Ed. 2) legi: « Bei der Hinrichtung durch Hängen findet weder Bruch noch Verrenkung statt. » MATTHYSSEN (Med. leg. p. 49) observasse se credit, « un écartement, une véritable diastasis, dont aucun auteur, que je sache, n'a fait mention, » primam inter et secundam colli vertebram; conferratur tamen praecellens eximiaque ad hunc locum epicrisis, apud NOLTHENIUM (o. l. p. 68, adnot.)

Procedamus ad ea quae ex exactissimis, ab ORFILA, in hunc finem experimentis institutis, eluxere. Res DAUZATS, supra allata, tunc temporibus famosissima, ad investigandum, magnum virum quondam ad-

(1) Taceo notam dexteritatem, qua TROIS-ECHELLES et PETIT-ANDRÉ, LUDOVICI XI, Francorum Regis, horrendi carnifices, victimas suas laqueo suspendisse dicuntur; a Rege ipso, HERACLITI et DEMOCRITI nomine, cognominati, a TRISTAN « Eremita » vero, Regiae crudelitatis, famoso illo instigatore, « Jean qui pleure » et « Jean qui rit, » quod alter cum dicto aliquo, e Litteris Sacris, desumpto, alter autem, cum mordacissimis iocis, damnatos patibulo suffigere solebat. Conf. DANIEL GARNIER, RAPIN, HENAUT, caet.



monuit. Suspensus inveniebatur veluti sedens, colli vertebrae 1<sup>a</sup> et 2<sup>a</sup> luxatis, medulla spinali, libera vel illaesa. In experimentis primi ordinis, in magno cadaverum numero institutis, pedes gluteorumque alter, terra incubebat, trunco parieti adnixo; tunc demum flexio et extensio, magna vi, capiti inferebantur; tenerae mulieris processus odontoideus, semel tantum, ad basin, fractus inveniebatur; locum verumtamen tenebat, ligamenti illaesis. In sene septuaginta et quinque annos nato, vertebra horizontaliter rumpebatur, (quod semel inter tot experimenta, observavit ORFILA,) fragmentis tamen ne paucillo quidem a loco remotis. Alii e contra affirmant se medullam invenisse a processu odontoideo pressam, disruptis ligamentis suspensoriis, alariis, cruciatis. (Conf. MAUCHARD, de Cap. artic. cum 1<sup>a</sup> et 2<sup>a</sup> colli Verteb. Tub. 1747 et B. D. MAUCHARD, de luxat. nuchae Tub. 1747. C. G. G. LUDWIG, Diss. de Luxat. Lips. 1767. RICHERAND, Nouv. Elem. d. Phys. T. I. p. 457. Ed. VIII). Talis experimentorum fuit effectus, in primam et secundam vertebrae institutorum. In sex aliis cadaveribus quorum pedes, ulnae spatium a solo distabant, licet vir strenuus, ponderosus, magna vi cadaveris humeris insiluit, nullius laesionis, vestigium ullum offendebatur. Hinc ORFILA probavit, rem DAUZATS non satis accurate tractatam, inspectam, diiudicatam fuisse. Ad locum reversus, ubi COLUMBUS ex observationibus suis « saepe PATAVII, PISIS, ROMAE habitis, concludit, frangi facilius, quam luxari secundam vertebrae posse, neque secundam solum sed primam quoque»; (de Re Anat. L. III. C. 2) miratus relego, consonam ORFILAE sententiam. — Quid de reliquis colli vertebrae? In experimentis primi ordinis, ligamenta flava bis offendebantur lacerata, semel nempe inter vertebrae 2<sup>m</sup>, 3<sup>m</sup> et 4<sup>m</sup> semel inter 3<sup>m</sup> et 4<sup>m</sup>. Idem semel docto MALLE contigit; ad medullae ipsam substantiam usque, digitus explorator perducere potuit. Disci intervertebrales, laceratis ligamentis, semel disrupti occurrebant, vertebrae inter 5<sup>m</sup> et 6<sup>m</sup>, lamina inter easdem vertebrae, semel tantum leviter divulsa reperiebatur, sexies e contra, haec raptura totalis fuit, luxatione completae ansam praebuit, bis nempe inter vertebrae 2<sup>m</sup> et 3<sup>m</sup> ter, 3<sup>m</sup> inter et 4<sup>m</sup>, semel inter 5<sup>m</sup> et 6<sup>m</sup>. (VERNEY, Traité des Malad. d. Os. T. II. p. 133, luxationem plerumque obtinere censet, inter vertebrae 3<sup>m</sup> et 4<sup>m</sup>).

In secundi ordinis experimentis, ORFILA in 6 variis cadaveribus, nihil accidere vidit; eodem cum infelici, vel potius felici successu, haec experimenta bis iteravi, inde tamen mihi fides facta, quam facile luxationis, et visui et tactui, falsa prebeatur imago. Mollis articuli capsula et apparatus ligamentosus, quam facillime in errorem ducit. Iam indicavi quantopere ORFILAE experimenta, a COLUMBO dicta, firmaverint; consonum est effatum a LOUIS, apodictice editum (o. l. p. 326). « La luxation des vertèbres et le déchirement des parties cartilagineuses ne peuvent être que l'effet, d'une très grande violence; jamais dans un homme qui s'est pendu lui même les parties n'éprouveront un pareil désordre ». Sic unde abii revertor; casus diiudicando difficillimus, forensi-medico tunc oritur, si suspensus occurrit, luxatis vertebrae. Multis enim libris perscrutatis, peragratis, quod supra quasi fundamentum posuimus, inveniet. Antiquiorum operibus perlectis, exemplaria relata videbit, ex auctoribus memoratis desumpta; quanti facienda sint, ORFILA



exposuit. Recentiores, observationis mentionem faciunt, a PFEFFERO scriptis traditae; agitur de solearum fabro lignario, (klompenmaker,) qui sese suspenderat, ubi PFEFFER, neglecta cadaveris sectione, ad vertebrarum, (non dicit quarum), luxationem concludit, aut alius casus, tunc temporibus famosioris, (A. D. 1825, Mensis Julii 26), ab ANSIAUX (de Liège), in pulcherrima, viginti quinque annorum muliere, observati, ubi, ad partem posteriorem utriusque vertebrae superioris, «un écartement bien remarquable» observabatur: «les ligaments postérieurs étaient rompus, les ligaments odontoïdiens étaient intacts; le transverse un peu remonté et distendu,» quo factum est, ut processus odontoïdeus, fortiter comprimeretur in Atlantis superficiem articulare; porro: la moëlle épinière était lésée. Pulcherrime ab ANSIAUX observatum, ab ORFILA refutatur, (Med. leg. T. II. p. 404. Ed. 4<sup>a</sup>) ubi luce clarius exponit, non fieri potuisse ut ANSIAUX observaverit, quae vidisse testetur; eorum tantum ligamentorum inter processus spinosos 1<sup>ae</sup>, 2<sup>ae</sup>-que vertebrae, ad partem posticam, rupturam accidere posse, non negat, «il n'en est pas de même de ce qui concerne la rupture des ligaments postérieurs, qui sont situés entre les apophyses épineuses des 1<sup>re</sup> et 2<sup>e</sup> vertèbres; ces ligaments jaunes, friables, et jusqu'à un certain point extensibles, diffèrent notablement des autres; il n'est pas impossible qu'ils soient déchirés par le seul acte d'une pendaison volontaire». (Ibid. p. 405).

Contententibus, lethalem medullae spinalis laesionem, ipsa suspensione obtinere posse, respondere iuvat, maiori vi elastica, ipsam medullam gaudere, quam omnia ligamenta vertebralia, simul sumpta; haec itaque prius dilacerentur necesse est. Supra iam memoravi, processum odontoïdeum, quamvis fractum, servare locum, nisi potissimum probare velles DUMERIL, (Bull. de l'Acad. R. de Med., T. VI. p. 101) qui casum, vigesimo octavo anno, postquam occurrerat, breviter commemorat. Si tunc temporibus adhuc plane sibi eluxisset, quae ante hos viginti octo annos, postea invenisse se firmaret, rem certe, pro ea qua erat insuetudine, statim iam tunc in lucem edidisset. In Dissertatione inaugurali, a RICHOND DU PUY olim conscripta, varia 1<sup>ae</sup> et 2<sup>ae</sup> vertebrae luxationis, exempla allata offenduntur, in canibus, felibus, caet, in contrarium trahendo; i. e. et capite et pedibus simul extensis, sive rotatu colli, effecta, capite fixo et vice versa; semper medulla laesa inventa est a RICHOND. Eadem experimenta ORFILA in canibus iteravit, parenque eventum confirmavit, sed ea lege tamen, ut processum dentiformem semper fractum, non a sede remotum inveniret; verumtamen addit, accidere forsân potuisse, ut tandem luxatio oriretur, experimento ad longioris temporis spatium perducto, maiorique vi adhibita. «Hinc prima mali labes.» Nimis semper, et nunc, et remotiori tempore, experimentis in animalibus sumptis, creditum. Tempora, quod referre iuvat, iam dui praeteriere, ut novus CELSUS (in Prooemio libri, — de Med.) de novo HEROPHILO ERASISTRATO-que, affirmare posset: «nocentes homines a regibus ex carcere acceptos, vivos inciderunt, consideraruntque etiam, spiritu remanente, ea, quae antea clausa fuerunt.» Recentiorum experimenta plerumque in animalibus sumpta sunt. De colli vasis sermonem serentes nosmetipsi nimis forsân, eo adducti sumus, ut ad homines transtulerimus, quae brutorum fuerint animalium.



Hic tamen valdopere periclitatur veri consentaneo, simulac illius vertebrae, cui provida natura "os sublime dedit, coelumque tueri" et "erectos ad sidera tollere voltus", brutorum collo componere ausi simus. Et cuniculi, et leporis, et canis, et caballi, me ipsum certiozem feci, quantopere ab homine distant colli structurâ, multisque sceletis perscrutatis cuivis patebit, hominem, (relative) fortissimo processu dentiformi gaudere, cui ligamenta circumiecta sunt, quam tenacissima.

Sic v. c. secundum MAISONABE, ligamenta alaria, centum et viginti quinque librarum pondus, ferre queunt, priusquam dirumpantur; mirum est itaque ANTONIUM PETIT, PFEFFERO, fidem non derogare, dicenti, corporis ponderi omnino attendendum esse, si ad suicidium concludere velimus; quid aliquot librae, ad ligamenta quam fortissima, processui odontoideo, circumiecta? Praetereo casum, in "Leçon orale" quadam a CHAUSSIER, allatum. In avibus vertebrarum colli luxatio, quam facillime accedit. Sic in anatis collo, quinque vertebrae luxatas, multaque ligamenta, variis colli locis, lacera observare, data quondam fuit obportunitas, sic et TERENT. VARRO iam tunc temporibus, "omnium Romanorum doctissimus" dictus, in libro ubi "de Pastionibus" agit, quem octogenarius conscripsit, de anseribus locutus "Horum (anserum) greges, SCIPIO METELLUS et M. SEIUS habent aliquot; — voraces sunt natura, quo temperandum iis, qui propter cupiditatem saepe, in pascendo si radicem prenderunt, quam educere velint e terra, abrumpunt collum; perimbecillum enim id, ut caput molle." (De Re Rustica, L. III, C. 10.) De canibus itaque, qui cum ranis iam a saeculis titulo dolent: "Physiologiae experimentalis victimarum," non facile ad homines concludere fas est. Hoc obiiciendum HALLERO, hoc MORGAGNO, hoc DE HAEN, hoc STOLTE, hoc omnibus fere, recentioris aevi experimentatoribus.

Celeberrimas denique auctoritates, in colli luxationis adumbratione, valdopere inter sese differre, ex sequentibus collectis locis, eluceat. "Ce déplacement (processus odontoidei, puta, sub ligamentum transversum,) ne pouvait évidemment s'opérer, — sunt verba ORFILAE, — qu'autant qu'il y aurait eû rupture du ligament transverse, — quod paulo ante — formé de tissu fibreux inextensible" — dicit. HYRTL, e contra, (Top. Anat.) "Luxation des Zahnfortsatzes, kann mit und ohne Riss des Querbandes erfolgen". Ubi tantorum virorum sententiae plane inter sese discrepant, a me, amice Lector, effatum ne exspectes, adhortor. Ipse inquirens quid veri lateret, in iis quae HYRTL tradiderit, experimentum aliquoties tentavi, dummodo traxerim, rectam viam secutus, dentis luxati, nullum indicium offendere potui. Num variis modis et torquendo et rotando, processus luxatio obtinere possit, hucusque dubium movere mihi visum; negare verumtamen nollem, dentem numquam luxatum inventum fuisse: in infantibus enim, et processus odontoideus minus evolutus, cartilagineam structuram satis longe servat, et ligamenta circumdantia, tenuioris flexiliorisque substantiae, deprehenduntur. Pueri annos nati, unum et dimidium, dentis ossificationem pene inceptam inveni. Locus est hic obportunus, luxationis duarum vertebrarum superiorum, paulo adcuratius circumspiciendae. Cuius lectori, casus celeberrimi, ubicunque allati, ab ANTONIO PETIT observati, recordatio subeat hic, necesse est. Picturae (viri enim tam "emunctae naris", qualis PETIT, stilus saepe versus, pingere simulat), id unum deest, quod saepius



tamen omittitur, utrum nempe cadaveris sectio habita sit, nec ne. In opere suo (*Maladies caet* T. I. p. 67) faber quidam memoratur, qui utraque manu sua, auribus infantis adposita, puerum in altum sustulit; motus rotatorius hinc trunco imponebatur, quo factum est ut processus odontoideus, locum sub ligamentum transversum liquit. Inferre possem nusquam miserrimum huiusmodi eventum, memorari "dieses rohen Scherzes" uti HYRTL ait, quamvis huiusce fabri lusus, quotidie saepe iteretur. Quoties ipse puer, sic ab humo sublevatus sum; quoties Lector fortassis, se puero; non plane cum HYRTL consentire queo; in infante bene nutrito, tam grave periculum inesse, haud ita facile crederem, et si postea ab HYRTL additur. "Bei Kindern wird die Tragkraft derselben (Ligamenta alaria), noch viel geringer sein, und es erklärt sich hieraus die Möglichkeit einer Verrenkung des Zahnes, wenn man ein Kind an die Seiten des Kopfes mit den flachen Händen anfasst und es in die Höhe hebt, um ihm Paris sehen zu lassen," tunc etiam adnotatum cuperemus, corporis pondus, puerili aetate multo levius esse, quo tenuiora sint ligamenta alaria. Quatuor puerilia cadavera ORFILA mento affixit mensae, et caput, inter truncum rotandum, magna vi adtraxit. In tribus liberis vertebram secundam, omnino separatam a tertia invenit; vertebrae ipsae e contra, nihil damni ceperant, et in omnibus tamen dens cartilagineus occurrit; luxationi itaque data fuit obportunitas. Hinc ad carnificis Parisiensis peritiam concludere possemus, de quo LOUIS; in corpus modo agere potuit, e longo laqueo pendulum, qui, ipse mobilis, rotati corporis, motum rotatorium, sequeretur necesse erat. Inde quoque fidei aliquid derogandum videtur et a LOUIS, et a PETIT, observatis: in pueris citatis, structura interna luxationi magis favet; caput enim fixum, omnes motus trunco tradit, qui motus colli articulationem, tunc omnino afflicere queunt, sed in homine, ubi capitis rotatus in duas primas vertebrae tam extensus, tam amplus est, ipse motus rotabilis, truncum afficiens, satis strenuus sit oportet, antequam nocere possit. Hinc simul elucet, cur ORFILA, experimentis in pueris institutis, inferiores tantum vertebrae, luxatas invenerit. Motuum amplitudine normali, Atlantis in Epistrophaeum, nondum perfecta, vertebrae inferiores, minori quippe mobilitate dolentes, iam ruptae erant aut separatae. Simile quid, quod DUPUYTREN, de manus articulatione affert, et in vertebrae occurrat necesse est; (radius nempe saepe frangi, lapsu in manum, antequam, lapsus impetu, eiusdem obtineat luxatio; quum, facta fractura, omnis quantitas motus, in dislocandis adhibeatur fragmentis, mobili carpi articulo, non luxato), sic quoque in capitis celeri rotatu, aut tertia aut infima columnae cervicalis pars, iam damnnum cepit, antequam primarum vertebrarum mobilitas, ad finem perducta sit; tunc denique, protracto rotatu, nihil in integris primis vertebrae effici posse, sed laesas iam, magis magisque a sede removeri, facile patet.

Ad questionem redeo, num vertebrarum conditio docere possit, utrum aut durante vita, aut post mortem, facta sit suspensio. RICHOND DU PUY (*Diss.* l. 1822, p. 31.) sortem, manu quaesitam, internosci posse putat in cadavere, dummodo certiores nos fecerimus, (qui fit? non docet,) ut luxatio durante vita obtinuerit. Definitiones attamen, obscuriores probabilioresque sunt, (vox "a-peu-près, fere, ferme, pene, prope,—



usque salutar), quam quod huiusce viri dicta, uberius referre vellem. DEVERGIE (Med. lég. T. II, p. 489.) « Les déchirures, (inquit,) des ligaments, les fractures des vertèbres, les luxations, les déchirures de la moëlle, sont tous des phénomènes qui entraînent avec eux l'idée de suspension, pendant la vie, alors qu'ils sont accompagnés d'ecchymoses, ou d'épanchements de sang": utriusque respondere possemus, (ex superius dictis elucet,) hucusque, luxationem ex suspensione observatam non exstare, quae dubium valdopere movere non valeat; — ubi vero occurrerit, ibi semper mortem, aliena manu illatam, indicasse visa est. DEVERGIE, cadaver illud a docto CHRISTISON observatum, inspiciendum, digito monstrare vellem, ubi secunda, uniusque horae quarta parte, a morte elapsa, baculo ictu, ligamentum flavum, ultimam colli vertebrae, primae thoracicae copulans, plane dilaceratum, variasque, variis locis ecchymoses pulcerrimas, instructas, inventae sunt. « Entre la première vertèbre cervicale, — inter alias, — et la cinquième dorsale, il y avait du sang noir, liquide, infiltré dans les mailles du tissu cellulaire, qui est appliqué sur l'enveloppe membraneuse de la moëlle et même sous le périoste, qui recouvre les lames des vertèbres dans l'intérieur du canal." (Ann. d'Hyg. 1829. I, p. 582.)

Quaenam est conclusio? Neque primae, neque secundae vertebrae luxatio, mortem ex suspensione subsequitur: recentioribus enim temporibus, singulus tantum casus, bene definitus refertur. Hic enim ne aliquid erroris lateat, grave dubium admoventi posse videtur.

2°. Ubi vertebrae vel luxatae vel fractae inveniuntur, ibi semper inimica manus aliena, accusanda; — male igitur ANSIAUX. « Lorsqu'un individu qui se suicide, abandonne tout à coup la chaise sur laquelle il était monté, le corps éprouve une violente secousse, qui, par la manière dont la corde était ajustée, et retient la tête, doit surtout se faire ressentir à la partie supérieure et postérieure de la colonne vertébrale; car la corde montant derrière les oreilles presse l'occiput, et force le menton à s'incliner sur la poitrine, d'où la distension subite, la rupture des ligaments postérieure et la tension de la moëlle rachidienne;" — male, — dicta enim cum fortissimorum colli ligamentorum natura, neque cum obductionibus, neque cum observatione fideli, quam minime quadrant, quippe quum « a priori » statuta sint.

3°. Fracturae vel luxationis vertebrarum signum, ab antiquissimis inde temporibus iam allatum, omni stabili fundamento caret. Adnotandum est, hucusque me locutum esse, de corpore, sanis integrisque vertebrais, gaudente. Perspicax DE HAEN, (l. l. — « modo carie semi-exesae non essent (vertebrae), ut non esse in plerisque, certum est,") conditionem quam nunc pono, iam seponit. Paucis abhinc annis, vidisse memini, virum Anatomiae Amstelodamensis sectoris munere fungentem, humanum scelerum conficientem, ubi, ingrato opere, iam ad duas supremas vertebrae usque perducto, non leviter a luci spe destitutus, ligamenta sinistrae colli partis, pro virili parte destructa; frustratus, vertebrae ipsas, carie affectas, invenit: cadaverum istuc delatorum, morbi historia numquam scita est: nihil itaque addere possum. Quid si huiusmodi cadaver pendulum deprehensum fuisset? Quamvis porro de suspensis agere volupe sit, eo morbo affectis, qui primum RUST, fidelem pictorem invenerit, vereor tamen ne per multas



ambages ab argumento deducerer; mulieris, de qua supra, mercurii usu, veluti intoxicatae, casus, huc referendus.

Neque primi mei, neque secundi suspensi, vertebram ullam, aut fractam, aut luxatam, inveni. Canalis ipse medullaris, ubique permeabilis, ipsa medulla nullibi compressa, nullibi laesa inveniebatur; in secundo tamen, vigesima quarta post mortem hora, extra medullae vaginam, circa quartae colli vertebrae regionem, parcam sanguinis coagulati acervulam inveni, qui sanguis, coagulatus unicus erat, quem, qua talem, in toto corpore salutavi; venae vertebrales, sanguine quamvis praetumidae, nullibi medullam premebant (fusus in fin.)

**RELIQUAE COLLI PARTES DURAE, LUXATAE VEL FRACTAE.** „Aus Gastfreundschaft“, ut LORZE diceret, reliquae colli partes durae, vel luxatae vel fractae, hic memorantur. Breviter retulisse sufficiat, quae notatu digna, apud antiquiores invenerim. Cuius enim patet huiusmodi laesionibus, aequae facile, durante vita, quam post mortem affici posse collum: adde cum vim, quam singuli „individui“ externae harum partium laesioni opponant, tum varietatem, quoad colli habitum, unicuique insitam, tum denique fortuitam laeque prementis locum, maximi hic esse momenti, habenda. Hinc reicienda quaestio, obiter agitata, utrum istae laesiones, certo criterio adferendo, ad diiudicandum in re dubia, quid valeant: hinc recte MORGAGNUS (E. I. Art. 12) „A vario strangulationis modo, variaque strangulatorum constitutione, illud in collo discrimen repetendum est, quod in aliis, musculi quidam disrupti, in aliis nonnullae etiam Laryngis cartilagineae, in aliis supremae vertebrae luxatae vel potius fractae, in aliis vero nihil fieri eorum reperitur.“ (quae hic inmutandae forent, ex superius dictis eluceat). Procedamus. In suspenso milite, WEISS, (Commerc. litt. 1745. Hebd. 24. I, sub n<sup>o</sup>. 7.) cartilaginem annularem „in multa frustula diffractam, inferioremque Tracheae partem, prorsus a Larynge abruptam,“ — observavit. MORGAGNUS, de suspenso quodam agens (Art. 13) addit „haec ipsa cartilago (annularis), disrupta erat“ Apud HALLERUM (El. Phys. T. III, p. 271 Ed. Laus. 1766.) legimus. „Vidi funestum funem, inter cartilaginem scutiformem et os hyoides, in Pharyngis caveam irrupisse, vidi cricoideam cartilaginem a bronchio separatam fuisse, vidi ruptam scutiformem, ut superior pars sursum distraheretur, inferior deorsum, et similia nostrorum, alii celeberrimi viri viderunt.“ Et MORGAGNUS et VALSALVA, laryngem nonnunquam a laqueo ruptam observare, quod a VALSALVA tamen, numquam in tenerioribus suspensis factum, reperiebatur, unde dixit, „in iunioribus, larynx, forsitan laqueo cedendo, disruptioni non obnoxia esse videtur,“ et MORGAGNUS alio loco: „neque ego vidisse memini.“ Apud CARDANUM, (tunc temporibus vigeat opinio, mortem suspensos modo adire, laryngis constrictione, opinio, inquam, cui DE HAEN et STOLTE faveant,) duo occurrunt loci, de quibus et BONNET agit in sepulchreto suo, quorum alius, „Is qui diu suspensus BONONIAE iacuit, vivus inventus est, quod asperam arteriam non cartilagineam, sed osseam haberet. — Hoc nos et ab aliis accepimus,“ prudenter addit CARDANUS. (CARD. op. Omn. Lib. II, tr. 2. Contrad. 7.) Alius locus vero ille est: „Constat quendam bis suspensum, servatum, miraculi specie; inde cum tertio, iudicis solertia periisset, inventam osseam



asperam arteriam." (Id. de Rerum Variet. L. XIV, C. 76.) *Quod corvis debetur, vix submergitur*; quod forsitan et de hac muliere valet, de qua WEPFERUS (de Apopl. p. 167) « quae ad patibuli supplicium damnata, per dimidiam horam e furca pependerit et tamen postea integre convaluit, licet consanguinei, mortem accelerare volentes, pedes attraxerint, pectus pugnis contuderint, pendulum corpus elevaverint, ut pondere suo, delabens, laqueum fortius constringeret — tamen superante sola vertigine, paulo post integre, convaluit." MAUCHARD (Luxat. Nuch.) cartilagineam annularem memorat « in multa fragmenta diffractam." — Quae de HORATIO, SALLUSTIO, caeterisque superius adtuli, iterum hic inspicienda sunt: eadem fortasse horum locorum explicatio, cum hocce argumento quadrans, visa foret. — Subito ad ORFILAM vector: claudite iam rivos pueri, (— antiqui, —) — sat prata bibere! Parcam curam adhibitam fuisse in investigando, num, musculis non delaceris, ossis hvoidis luxatio obtinere possit, Lectori fortasse iam eluxit. ORFILA qui inter tot experimenta, cartilagineam cricoideam semel tantum ossificatam invenit, semel modo, ossis hvoidis, cornu magnum luxatum vidit. In debili teneroque cadavere, laqueo fortiter constricto, idem efficere semel contigit: huiusmodi quid et in suspenso (J. H. K...R.) observavi. Cornu enim magnum, dextrum, inter laryngem depromendam, parva licet vi adhibita, disrumpebatur; (uberius postea): primi suspensi vero, os hvoides quam integerrimum vidi: brevis hicce conspectus claudatur. Musculis ab osse Hvoid. abruptis, hic est locus. MORGAGNUS (Ep. l. Art. 38) suspensi anatomen referens. « In collo musculos, — sic ait, — qui os Hvoides, cum larynge, proximisque partibus connectunt, carnificis laqueus disruperat, ut illud os, ab larynge esset separatum." (Conf. ad supra citatum articulum 12, et porro 14 — animadversiones, — ubi « membranacea tantum substantia, illorum (musculorum) loco remaneret." Propter eas quae de colli laesionibus, circumferantur opiniones, paulo uberius hocce argumentum tractavi. Ubi variorum, quae feruntur, signorum adumbratio, ad finem perducta est, ibi et operis nostri, finis. His quae initio dabantur, novas quasdam interiecimus notas, easque contemplati sumus, quae ad probandum in re dubia valere quid, simulant.

DE COLLI NERVIS QUAEDAM. De nervis non egi ex industria. Magni sint pretii facienda, quae MORGAGNUS (E. l.) hac de re verba fecerit; historicum tamquam ingenii monumentum usque maneat; quid vero ad fidelem veri picturam adtineat, maximum pretium, invitus illi impendere viderem. Varios quibus laedatur vagus modos, supra memoravi. Caeteri nervi per collum decurrentes, notatu dignissimi forent, nisi argumento plane alieni essent. Instabilis nervorum constitutio post mortem, — mutabilis ipsorum structura microscopica, instabiliora, mutabiliora criteria, ex illorum perscrutatione, inspectione, brevioris longiorisve temporis spatio post mortem elapso, exstructa. — Nervos itaque linquens, difficultatis vel erroris fontem referre iuvat, quae tamdiu manabit, quamdiu e signis a cadavere desumptis, concludere velimus, ad mortem per suspensionem: nobiles hosce casus specto, satis crebros a KLEIN memoratos (praesertim duodecim de quibus p. 128 sermo est — HUFEL. Journ. Nov. 1816. p. 21 seq.) quibus Waldenburgensis ille medicus celeberrimus, HINZE, novos nonnullos subiecit. (Ibid. Febr. 1819, p.



79) ubi, licet de suspensione, durante vita, non dubitandum videatur, ne minimum verumtamen inde vestigium, cadaverum sectione habita, perscrutanti obviam venerit. — Huiusmodi casus et SCHALLGRÜBER refert, (Aufs. u. Beob. im Geb. d. Heilk. S. 94.) in finem addit. „In solchen Fallen starben die Menschen von Gemüth aus und augenblicklich“. Uterque scriptor, modo relatus, eidem opinioni favet: huiusmodi casum et G. VROLIK refert (DEN TEX en van HALL — Bijdragen 1837. D XI, p. 365.) in septemdecim annorum iuvene observatum: laqueus supra collare, adfixus inveniebatur: — „men vond de koord over de das (zwarte zijden) heen. In dien toestand het lijk onderzoekende, kon ik aan den hals, na het wegnemen van koord en das, niets ontwaren, waardoor men tot het besluit zou hebben kunnen geleid worden, dat dit jong-mensch zich door de koord had omgebracht. Niets ondertusschen was zekerder dan dit.“ Si hic de paralyti pulmonum cerebrique, vel de Apoplexia nervosa, sermonem serere iuvat, uti HINZE (HENKE's Zeits. T. VII, p. 328.) aut v. SIEBOLD (Handb. d. Gerichtl. Arz. § 360) is vero, cui nomen pro re sufficit, sereno vultu, domesticos Penates repetens, ad suos redire incipit, vocis novae lucro, ditiores sese factum existimans. MEPHISTOPHELES verumtamen, amicis hisce dictis, eum adfari visus.

Schon gut! Nur musz man sich nicht allzu ängstlich quälen,  
Den eben wo Begriffe fehlen,  
Da stellt ein Wort, zur rechten Zeit sich ein, caet:  
An Worte lässt sich trefflich glauben!

Monet BILDERDIJK:

Gij daarom wat gij leest of hoort,  
Hou ieder woord slechts voor een woord!

Vox illa „Ignotum per Ignotius,“ semper Delphicolam illum vatam Patrem, nimis olere visa est; quod anceps Sibyllarum effatum decet, austeram Scientiam, dedecet. Hinc ORFILA, novae vocis lucrum, non ingenii lucrum existimare solitus, paucis verbis, REMER seposuit, de Apoplexia nervosa, locutum (1): „Je ne saurais admettre une pareille opinion.“ Hinc recte NOLTHENIUS Consul. Med. et Art. Obst. Doctor, (De Poenis, p. 59), de Apoplexia nervosa, ex inanitione vasorum caet. „quae diversae species a multis medicis distinguuntur, sed quas mea imbecillitas numquam comprehendere neque admittere potuit.“ Deus ille „ex machina“ speculatione potius Psychologica, a sede forsan moveri posset, docente qui is, quem longe iam, sollicitae lucis taedia habent, psychice saltem, iam pro exiguissima parte, inter vivos versetur; qui, levissimi impulsus impatiens, quem alii illaesi impune perpetiantur, vitam tam importunam molestamque sibi, facile linquat, simulac damni aliquid capiat. Illi aut amor frustratus, aut ira, aut terror, aut imminens vitae periculum. aut conscia nefanda, quid magis, gaudium inexpectatum, ubertim atque abunde est, ut Microcosmi rotae, diu iam aegre volubiles, statim a movendo desistant, officioque defi-

(1) Quamvis ipsam vocem reiiciat, tamen ideam servatam vult REMER. „Diese Todesart, welche eine bequeme Nosologie mit dem falschen Namen, — Nervenschlag (Ap. nerv.) bezeichnet hat, und Paralysis Cerebri genannt werden sollte, existirt wirklich.“



ciant. Recte hinc iam OVIDIUS „strangulat enim inclusus dolor,” vel IUVENALIS. — „sed plures, nimia congesta pecunia cura strangulat.” — Quisquis miser, aerumnosus, egens, mortemque ignobilem, minax adpropinquantem adspiciens, vitam vix tollerabilem, protraxit, illi exoptata mors, semper nuntius salutifer erit, tunc veras Deas „ex machina”, qui, ore tremulo risu diducto, hancce regionem digito commons-trat, a VALERIO FLACCO iam „superis incognita tellus” dictam, unde et HORATIUS et HAMLET negant „redire quemquam”:

That undiscover'd country, from whose bourne,  
No traveller returns. (HAMLET, Act. III.)

Haec est illi, Terra promissa, cuius longe iam cives factus sit, antequam laquei lethalis sequela obtinuerit, antequam vinculum guttur constrinxerit. Visne analogae? verax Historia, exemplarium prodiga, respondeat, „Veterum volvens monumenta virorum.” (VIRG.) Timidus pavidusque M. TULLIUS, „ille decus Latii, magnae spes altera Romae,” (VEDA) terrore amens, digito ab ea indicatur, qui, supremam auram iam exspirarat, simulac propinquantem mortem, immoto quo potuerit vultu, adire cupiens, colla, infanda manu secanda, praebuisset, capite e lectica exserto; (ut Herennium et Popillium, ANTONIO triumviro, nunciasse ferunt.) Sed linquamus veteres, praetereamus medium aevum; inspiciamus nefarium istum, „Rege” ELISABETH regnante, damnatum, (SENECAE ad instar,) ut sibi venae aperirentur. Leviori vulnere allato oculisque perstrictis, medici adstantis cura erat, ut nudatum brachium, calidae aquae, parva copia continuo destillaret; sensim sensimque decepti facies pallescere coepit, ast, — ubi medicus, tredecim scrupulis (minuten) elapsis, viva voce clamaverit, „Vitae duo adhuc stant scrupuli!” exanime corpus, adstantes mirati, videre.

„Nil nisi mortis imago.” (OVID.)

Vocem „prae metu, prae dolore, prae gaudio, caet. emori,” non ita metaphorice esse, experientia magistra, iam veteres docuit. Franciae perturbatae, flebiles annales, temporisque lugubris, „Terrorismi” nomine famosi, horrendi Fasti, quam plurima exempla afferre possent; doceant quid lethiferum istud: „élargissez Mr. Tel et Mme. Telle,” in omnes, populi irati, hostias plerumque insontes, mortis terrore veluti glaciatos, potuerit; narrent prae aliis Principissae illius, a LAMBALLE claro nomine dictae, lamentabile fatum; tot aliarum victimarum, flebilem exitum referant, quae tunc temporibus, nocendi quamvis ignarae,

Devenere locos laetos et amoena vireta,  
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.

Quid significare voluerim, verbosius forsitan exposui; — da veniam Lector! — ad argumentum revertor. In casibus nuper memoratis, soli iudici committendum esse, utrum humanae iustitiae gladius in nefarium poenas sumendum, tradendus sit, nec ne, quis non assentiret? (1).

(1) Conferatur verumtamen FLEISCHMANN, (HENKE, Zeitschr., Jahrg. 2. p. 332.) qui a se non percipi affirmat, „warum eine Paralysis Cerebri von heftigen Gemüthsaffecten veranlasst, nicht früher, sondern nur dann erst eintreten soll, wenn der Hals bereits durch den Strang zugeschnürt ist, da überheftige Gemüthsaffecten augenblicklich todtten. Beim Selbstmörder verstreicht aber immer



Operis qualiscumque, hic finis foret, nisi verbo tangendum esset aliud signum, non e suspenso cadavere sed, e laqueo eiusque vestigio, desuntum, — si saltem unus alterve adest in cadavere. — Varios, mirabilesque non adgredior suspensionis modos, qui nonnullis sese obtulerint v. g. WEGLER, PIORRY, DEVERGIE, JACQUEMIN fils, DUMERIL caet. Varius uti corporis habitus, (houding) in suspensis salutatus, variae sic et viae, quibus ad suspendiam, varii pervenerint; rara, insuetaque exempla occurrunt in scriptis, (pièces) mortem principis, a CONDÉ tractantes. (Ann. d'Hygiène, Janv. 1851.) GROTANELLI, rarissimum casum accurate depingit, quem, ob diligentiam ad cadaveris sectionem adhibitam, sedulamque indagandi, inventaque enarrandi industriam, omnibus forenso-medicis, tamquam exemplum, utilis obductionis commendatum velim, nocturna diurnaue manu, versandum. Vir quidam „ANTONIO” ex pago STO. MARCELLO (in Modenae limite sito,) oriundus, in „Poggia della capenne die Saturnia”, cerasi cuiusdam speciei, ramum bifurcatum, laquei loco, sibi elegit, facie naribusque arbori trunco adpositis. Paulo uberius exponere fas sit, quid caeterum in cadavere observare GROTANELLI et RUMELIO PALAZZUOLI; quam plurima signa, de quibus supra locuti sumus in memoriam sic iterum revocare spero, et a me dicta, praeclaro hocce exemplo, denuo firmare. Ramuli bifurcae, sub processibus Mastoideis premebant et prae aliis venas iugulares. „La trachea Arteria” libera erat; nusquam, neque ecchymosis, neque contusio videre erat, circa collum; corpus terram leviter pede adhuc tangebatur, urinae parca copia emissa erat, penis tumidus, extremitatibus inferioribus, maculis, cadavericis dictis, obsessis, vertebrae (vigesima quarta a morte hora, sectione habita) illaesae, cerebri sinus, sanguine pleni inveniabantur, hinc inde sero exsudato; (ANTONIO, satis strenuus erat potator dum inter vivos,) iugulares tumebant, caeteroquin nihil praeter normam, collum ostendit; cor dextrum prae sanguine paulisper iusto maius extensum, reliqua organa sana, tractus intestinalis, ne quidem prae sanguine, ruber erat, quod satis frequenter occurrit. De pulmonibus sermo seri nequit, quippe, passim pure infiltratis, ex morbo pulmonali chronico oriundum. (Manibus porro usque teratur, opus illud egregium: — „Ricerche Medico-forensi sopra una straordinario genere di morte violenta su quella degli applicati ec. — del Dottore STANISLAO GROTANELLI, Publ. Professore d'Istituzioni Mediche, nell' Arcispedale di Santa Maria Nuova die Firenze”. FIRENZ. 1822.) De Muliere legi quae, dextra manu quamvis orba, tamen sese ipsam strangulaverit (Ann. d'Hyg. Juil, 1833.) Conf. porro SCHLEIFER, Ueber Selbsterdrosselung (Oesterr. Wochenschrift, 1844, n°. 11.)

LOCUS IPSUM VESTIGII, IN COLLO. At potius contemplatum camus vestigii locum ipsum: „Si l'impression (sic ait FODERÉ) de la corde est à peu près circulaire et qu'elle soit placée à la partie infé-

noch biss zur Ausführung seines Vorsatzes eine geraume Zeit.” Utrum omnino verum sit, non ita facile assentirem et porro, „so könnten wir ja eben so gut auch behaupten (REMER adfatur) dass manche Menschen, die sich ins Wasser stürzten weder am Schlag- noch am Sticfluss, also eigentlich gar nicht durch dass Wasser, sondern im Wasser an „Paralysis cerebri” sterben.”



rieure du cou, au dessus des épaules, il est clair, que dans ce cas elle est une preuve d'assassinat non équivoque, puisque cette circonstance ne peut avoir lieu, que dans la torsion, faite immédiatement sur la partie, en forme de tourniquet." WILDBERG e contra, (Handb. d. gerichtl. Arzn, 1812, p. 365) laquei impressionem, multo longiorem observari in suicidio affirmat, quam ubi homicidium obtinuerit. "Scinditur studia in contraria volvus!" tertia vice exclamare fas sit.

Quot exempla non exstant illorum, qui ipso ramo, ipsa ollae testa: "en forme de tourniquet," usi, "laeta nemoris Elysii loca" devenere. ORFILA (Nekropsie 15) de suspenso quodam ait: "le sillon s'étendait horizontalement d'arrière en avant. Ce sillon (était) à peu près circulaire." Suspensi mei primi, collum fere omnino circumdatum erat a laquei vestigio; quamquam impressio locum altum non tenebat, tamen crederem et hic colli constitutionem vel formam individualem, quam maximi esse faciendam,

Secundi, a carnifice suspensi, laquei stria, sensim sensimque in cutim illaesam, transiit, regionis occipitalis in latere dextero vero, pilis tecta, in latere sinistro, iam aliquot centimetros ante capillos obortos, evanuerat. Hinc minus recte, in fallor, FODERÉ (T. III, p. 159): "Lors même que l'homme, qui se serait pendu, aurait placé en premier lieu la corde vers la partie inférieure du cou, elle aurait glissée nécessairement vers la partie supérieure, plus étroite que l'inférieure, au premier instant de l'élançement." Si vocis "corde" loco, legeres v. g. pannum byssinum (katoenen doek) vel loram, vel retinaculum, minus glabrum (1), tunc invenires, FODERÉ nimis "a priori" locutum esse, nimis cum ingenio lusisse. Experimenta enim in cadaveribus, experimentum me fecere Rupertum. De fovea in collo duplici et a MORGAGNO et a DE HAEN, in suspensis, qui procul ullo dubio, fata arcessiverant iam observata, non sermocinabor. ESQUIROL, in exemplo toties iam allato: "deux impressions", — invenit, — "l'une horizontale, l'autre oblique," huiusmodi exempla nos monent, quam circumspecta, tali in casu, sententia nostra sit, oporteat. ORFILA addit: "Le second sillon aurait pu être fait par la malveillance, après la mort d'un individu, qui se serait pendu."

TOTUM SUSPENSII RELIQUUM CORPUS, ADCURATE CIRCUMSPICIENDUM. Cum in omni disquisitione medico-legali, tum praesertim in suspensorum, regula generalis haec est, ut reliquum totum corpus, quam accuratissime circumspiciatur, numquid alia coeca vulnera, aliae absconditae plagae, inflictae, lateant; stimulet omnia saecula ventura ad providam prudentiam, incitet ad circumspicuum iudicium, exemplum illud e suspensi cadavere desumptum, qui prius ipse sibi faciem laeserat, a DE HAEN quondam scriptis mandatam.

Casum a DEVAUX memoratum (Rapports de Chirurgie, p. 519) cuius medico-forensi satis notum existimo, quam quod uberius referam; sedula investigatio, mortis causam accusans, parvum latensque vulnus

(1) Quamvis CASPER, (Wochenschr. 1837, n°. 1, 2, 3.) ex 16, e novem et decem casibus concludat: "dass in Beziehung auf die örtlichen Erscheinungen des Erhängungstodes, das Strangulation-Werkzeug ganz gleichgültig sei," omnino tamen cum ipso consentire nequeo.



thoracicam perforans, in lucem prodidit; alium casum a Doct. G. VROLIK (o. l. p. 367) memoratum inveni, a BONN, VAN RHYN et JAS observatum; commissae caedis, licet agitata fuerit suspicio: „zij vonden ondertusschen aan het lijk, (suspensi nautae,) bij de eerste aanschouwing, geen zichtbaar blijk van uiterlijke belediging of toegebragte wond, evenwel ontdekten zij aan den benedenrand van eene der onderste ware ribben, eene zeer smalle, diep doorgaande wond, waarvan men zorgvuldig de bloedige kenmerken had weggevaagd,” caet. „Bij de opening der borstholte bleek de toegebragte, uiterlijk naauwelijks zichtbare wond, tot in het hart te zijn doorgedrongen,” caet. (1).

Plura exempla subiicere possem; memorasse sufficiat, quam cauti simus oporteat, in suspensorum cadaveribus perscrutandis, ne mortem fortassis laqueo tribuamus, ubi vis ab aliena, lethifera manu, illata, sit incusanda. Quam incautus itaque, quam inconsultus v. D. MEER BOSCH (Handl. tot de geregt. Geneesk. § 130) dicens: „om dit te beslissen, (an suspensus fuerit autochir: nec ne), hetgeen altoos moeilijk is, (quod concedo), blijft den geregtelijken geneesheer niets overig, dan te onderzoeken, of er ook andere wonden, die eenigen tegenweer aanduiden, aanwezig zijn, welken altijd bij zelfmoord ontbreken”. (Conf. quae ex DE HAEN retuli).

Antequam scribendi finem faciam, ob ea quae supra de suspensorum morte, in medium protuli, adductus sum, illud argumentum, iterum paulo uberius adire. Sufficiat cum nonnullorum ab HINZE dictorum, brevis conspectus, tum experimentorum (quae cum corpora mea mole „membranorumque compage,” iterare, mihi met ipsi non volupe erat,) a FLEISCHMANN quondam in se institutorum, concisa expositio.

HINZE, (HENKE's Zeits. Jahrg. 4, p. 121) suspensos mortem adire putat 1°. Suffocatione 2°. Apoplexia sanguinea, 3°. Apoplexiae inmixta Asphyxia, 4°. Paralyti pulmonum et cerebri = Ap. Nervosa = Asthenica = Immateriali = caet.

In primo mortis genere, cadaver, (sic ait HINZE,) omnes notas refert, systematis venosi, prae sanguine nigro, fluido, nimis extensi; oculi tumet, ut et palpebrae labia auresque turgidae, spuma ante os et nares sanguinolenta; dentes plerumque mordent, vel nonnumquam praetegunt, linguam, semper tumidam, lividam vel nigrescentem; facies est anxiosa; digiti pugnum faciunt. — In hyperaemicorum pulmonum bronchiis, spuma crepitans adest; cor sinistrum a sanguine vacuum; venae coronariae totumque cor dextrum, expansum, hydrops pericardii; penis erectio, cum eiaculatione seminis, non nisi in iis obtinet, qui suffocati pereant. (?)

2°. Suspensi Apoplexia tacti sanguinea, facies pallet, maculae rubro-coeruleae plerumque insunt, labia livent, utraque auris, saepius alterutra, rubet; lingua tumet, rara verumtamen a dentibus morsa, facies minus anxiosa, quam suffocati; caput saepe tumidum; ungues digitorum manus vel pedis, caerulei; neque digiti, neque brachii musculi, spasmo contracti; maculae cadavericae, praesertim nucham dorsumque obsi-

(1) Conf. METZGER (System. § 245 seq.). Mulier, amico quodam adiuvante, coniugem strangulaverat, mox suspenderat. (Nationalz. d. Deut. 1821. n°. 4, p. 74, porro J. H. G. SCHLEGEL, frater, fratrem suum in insultu Asphyctico, suspenderat. — Mater. f. d. St. A. K. Bd. 1. n°. 2.)



dentis, cum colore, tum extensu, variae, — (maculas in suffocatis non salutari, contendit HINZE. —) cerebri vasa sanguine scatentia, ut et ventriculi (qui venenum sumtum accusare videret,) et hepatis, et lienis, et totius tractus intestinalis, et omenti, et mesenterii: in cranio ipso, sanguis extra vasa saepius occurrit, sero in ventriculis sanguinolento, exsudato, et cor sinistrum et Aorta Arteria sanguine plena, corde dextro saepius vacuo: accedit bilis effusio in intestinis.

3<sup>m</sup> Mortis genus in suspensis occurrit, qui, avide pransi, fatis manum iniecerint, vel in iis qui, virente adhuc aetate, larga sanguinis copia gaudeant.

4<sup>m</sup> Genus vero est Paralysis pulmonum et cerebri, a REMER primo inventum, (Zeit-*chr.* f. St. Arzntk. 1822 Hft. I.) quam mortem HINZE „eine negative Todesart des Erhängens“ vocat. Ubi signa nuper data, aut omnino desiderantur aut parce occurrunt, — ibi Apoplexiam nervosam salutamus, secundum HINZE. (o. l. p. 328.) De hocce genere supra iam fuit sermo, id modo additum volo, praeclare exemplum huiusce mortis, referri ab HINZE, ubi laesionis internae, nullibi ullum vestigium offendi potuit; saepe accidisse affirmat, ut, duobus scrupulis, (minuten,) nondum elapsis post suspensionem, iam vita plane evanuerat; sanguis tunc plerumque coagulatus invenitur, quod HINZE a terrore factum putat, (num et Hollandice secundum naturam diceremus: de schrik stolt mij het bloed in de aderen? Non crederem.)

Ex iis quae in sermocinandis criteriis retulerimus, pateat, quam inconsulte data sint signa, quam parvi momenti plurima sint facienda, utpote in „subiectiva,“ observati, adumbratione innitentia, aut ex vobis „plus et minus, levius et profundius,“ colore, composita.

Transeamus igitur ad ea quae FLEISCHMANN accuratius conscripta posteritati tradiderat, qui ipse in semetipso expertus, a se observata sensuque percepta, quam solertissima cura, quam veracissimis verbis, depingere potuerit (1). Rectissime HENKE, hisce experimentis praefatus (Zeitschr. Jahrg. II, p. 311.) „Der Eifer bestimmte Prof. FL. zur Anstellung der kitzlichen Versuche an sich selbst, deren Wiederholung gewiss nicht Jedermanns Sache ist.“

In scripto praeclaro, quod ad doctissimum virum HENKE misit, (Zeitschr. l. c.) FLEISCHMANN suspensorum mortem, accuratius contemplatus est; suspensorum mortem tripartitam adgreditur.

Varia uti colli regio, a laqueo aut pressa aut constricta, varius sic et moriendi est modus, quod totius doctrinae fundamentum. Mors sequitur aut Apoplexiam sanguineam (= Blutschlag) aut Asphyxiam, aut ambas, amice conspirantes.

1<sup>o</sup>. Lento gradu, mors sub Apoplexiae forma, pendulum hominem

(1) Ad experimenta instituenda, a REMER incitatus fuit, dicente (o. l. p. 60.) „Es bleibt noch fest zu stellen übrig, was... nicht ausführbar war, und was vielleicht überhaupt sich nicht mit völliger Gewissheit beendigen lassen wird; ob... die Stelle wo man die Strick angelegt fand, einen bestimmten Einfluss auf die Entstehung der verschiedenen Ausgänge der Strangulation haben,“ et porro (p. 61.) „Die von mir gesammelten Fälle, geben insbesondere kein Licht darüber, ob die Stelle, wo der Strick angelegt ist, darauf Einfluss gehabt haben möge.“ — Rem itaque in medio suspensam liquit, quam FLEISCHMANN denuo arripuit, suspensamque questionem, haud sine fructu felicique successu, illustrare conatus est, ut videbimus.



adgreditur; sanguinis circuitus sensim sensimque restringitur. Vasa pulmonum et cerebri, magis magisque, sanguine implentur, — iamiam adeo distenta, hiatum minitantur, — rupturam vero nisi senibus accidere posse, supra iam exposui, — sed vasa, tantopere distenta, pendulum corpus facile morti demittunt, — „und es finden sich nach dem Tode, alle die Merkmale an der Leiche, welche nur während eines noch vorhandenen, wenn gleich bald scheidenden Lebens, eintreten können“ (FL.).

2°. Si mors Asphyxiam subsequitur, celerius vitae fugacis flammula, extinguitur necesse est; subito sanguinis circumvolutio, in toto corpore a volvendo desistit; neque sanguinis congesti, neque extravasati, paucillum, usquam deprehenditur. (Sugillatio enim non obtinet nisi, vita durante, ut contendit FLEISCHMANN; experimentorum et a CASPAR, et a CHRISTISON institutorum, subeat verumtamen Legenti recordatio.) „Und daher der Mangel der Kennzeichen des Blutschlagflusses und die Erscheinungen besonders am Kopf und Halse, die wir bei jeder Leiche bewirken können, wenn wir ihr einen Strick um den Hals fest anlegen,“ caet. (FL.)

3°. Tertia denique mortis species procedit, et Apoplexiae et Asphyxiae veste, induta. Nunc Apoplexiae, nunc vero Asphyxiae symptomata superemineant, necesse est.

Porro de funesti funis loco, agere pergit. — „Diese verschiedenen Arten der Erhängungstodes scheinen mir ihren Grund in der verschiedenen Anlegung des Stranges zu haben.“ Si laqueus prae caeteris Venas comprimit, postea vero colli Arterias, profundiori situ gaudentes, stasis venosa in cerebri vasis mox orietur, (eo vehementior, ut exposuimus supra, quo arteriae colli, a laqueo minus sint oclusae.) Si laqueus e contra, „vitalesque vias et respiramina clausit,“ (OVID.) vel si spirandi facultas, aut subito aut sensim sensimque officium praestare recusat, sive trachea, sive larynge, aut plane, aut pro virili parte, oclusis, vel obstructis; si denique laqueus nervos, prae aliis vagum, cordisque nervos premit, circuitus sanguinis mox sistet, et corde et pulmonibus, eadem paralyti affectis.

Primum mortis genus ibi salutari soluit, ubi laquei nota, viam satis horizontalem circum collum sequebatur, aut supra ipsam laryngem, aut infra eandem, decurrens, vel supra hvoides os (ipsam inter et mentum), sed in utroque casu, a processus mastoidei apice remota, viam inclinatam versum occiput adscendens. Notandum est tertium mixtumque genus mortis, nonnumquam in hoc rerum statu, obtinere.

Si Laquei nota spatium, Cartilaginem inter Thyreoideam et os Hvoides dimidiat, (vel si ipsum os simul tegit,) et si anguli maxillares illi, veluti fulcrorum locum tenent, (aut processus mastoidei,) quum versum occiput adscendat nota illa, aut versum cervicem descendat, ibi symptomata apoplectica frustra quaereres, „und der Eindruck, um den Hals verhielt sich ganz so als wäre er erst nach dem Tode entstanden“ (FL. p. 324.)

Si Laqueus infra Laryngem, horizontalem viam secutus, collum circumdat, mixtum mortis genus oriri solet. — „Dadurch werden die Luftröhre und die Halsgefäße zugleich zusammengedrückt. (FL.) Apoplectici itaque pereunt, quibus laqueus, maioribus colli vasis, a se



obstructis, sanguinis ex capite colloque defluxum, impedit. Suffocati, quibus laqueus inter mediam laryngem et os hvoides intercurrentes, faucium aditum epiglottide adjuvante, firmo obice suo praeccludit et angulum maxillarem processumque mastoideum, prae caeteris premens, vasa colli minus, vi sua, constringere potest. Mixtum mortis genus, uti vidimus occurrit, et spirandi et sanguinis circumvolvendi obportunitate, simul repressa.

Videamus quid de experimentis, quae ipse in sese instituerit; pro experto Roberto in hoc casu haberi, non mihi volupe fuit, quod iam retuli. — Ipse FLEISCHMANN, Erlangensis quondam Professor, experimenta sua vocat, — „Versuche, die man zwar leicht nachmachen kann, aber, was ich doch sehr empfehlen möchte, mit der nothigen Vorsicht unternehmen muss.“ (o. l. p. 331.) Nuper didici, apud nostrates, virum doctissimum SCHOUTEN, huiusmodi experimenta, quoque in se instituisse, quorum vero eventus numquam editus fuit, et quibus fere suffocatus periisset.

Laqueo mentum inter et os hvoides, affixo, satis arcte constringi potest, (aut in parte colli laterali, aut posteriori,) antequam spiritum ducendi facultas, aliquod damnum capiat; — quid mirum? — Larynx plane aëris transitui permeabilis manet. Facies verumtamen mox rubescit, oculi prominent, capitis calor iusto valdopere maior fit; ponderis veluti cuiusdam in intimo capite prementis, sensus oritur, — „eine anfangenwollende Betaübung,“ — hebetudo, terror, anxietas, — Funis subito rescandus erat, (1) mors ex Asphyxia, ruinam aggreidentem sibi minitabatur. Idem accidere sibi visum est, laqueo ipsam laryngem premente; at, — spirandi, facultate paululum hinc impedita, et experimentum multo brevius protrahi potuit; mox enim eodem sonitu sive tintinnabulo, monitus, receptui cecinit; quod minime mirum; — in primo enim experimento colli vasa magna levius tantum premuntur, in secundo vero, et conditione magis horisontali, qua laqueus decurrit, et corpore solidiore cui insidet, funis, utriusque lateris, colli vasa, arctius comprimit; adde, accelerata respiratione, sanguinem quam citissime ad caput adduci: primum experimentum per duos scrupulos protrahere potuit FLEISCHMANN; („plus de dix minutes.“ — ORFILA: hic quoque forsana Fama: „mobilitate viget viresque acquirit eundo.“ (VIRG.)) Secundum vero, non ultra dimidium scrupulum perduxit.

Collo infra laryngem constricto, varius est effectus, prouti cartilago cricoidea aut ipsius tracheae initium, prematur; in primo enim casu respiratio impedita, vix sustineri potest, temporis tantum puncto elapso; non ita aegre fertur laqueus, inter laryngem et os hvoides constrictus: mors verumtamen statim corpori imminet, simulac laqueus os hvoides ipsum premat, praesertim si ipso constrictionis temporis puncto, aerem exspirare conati simus,

Haecce experimenta, sic referenda existimavi, quippe quum sint veluti fulcra, in quibus FLEISCHMANN doctrinam suam de morte suspensorum extruxit. Plurimum veri illis inesse, utpote natura magistra

(1) Diese letztere Erscheinung muss den Augenblick bestimmen, wo es Zeit ist, mit dem Versuch sehr schnell nachzulassen, und ich gestehe es, ich getraue mir kaum, denselben bis auf diesen Punkt hin, noch einmal vorzunehmen. Fl., p. 331.



conscripta, quis negare auderet. Levis quamvis obiter, error aliquis fortassis interiectus sit — « ubi plura nitent, — non ego paucis Offendar maculis, quas aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura. (Ad. Pis.)

QUAEDAM INDE DEDUCENDA. Ad experimentum quod FLEISCHMANN per satis longum temporis spatium, protrahere potuit, hi casus, nisi plane ficti sint, quodammodo forsitan referendi sunt, quorum nonnullas supra iam insignivimus. (ex WEPFERO, BONNETO, aliisque,) ubi, satis diutina quamvis suspensione, mors tamen non introgressa erat. Sic Verulamius ille BACO (Ed. Francof. p. 560.) « Audivi de medico adhuc vivente, qui hominem, qui se suspenderat, atque per *horam dimidiam* suspensus manserat, in vitam fricationibus et balneis calidis reducerat, quique etiam profiteri soleat, se non dubitare, quin suspensum quemcumque, ad tempus praedictum revocare posset, modo cervices ei, per impetum primae demissionis, non fuerint effractae: quid de cervicibus effractis cogitandum sit, iam exposui. — Conferatur quoque locus apud HALLERUM, supra laudatus, (El. Phys. T. III, § 19.) ubi sermo est de suspensis, qui post satis longam moram refocillantur: — « Eos enim homines, (quam verax HALLERUS!) facile crediderim Apoplexia potius, quam ex intercepto spiritu perire. — Minus ergo mirum est, adeo frequenter convalescere, resecto fune, vena incisa; Florentiae adeo vulgo redibant ad vitam, ut necesse fuerit mutare mortis genus et vertebrae luxare:» caet; nam, — « loca iam recitata revolvimus irrevocati» (HOR. Ep. II, l. 223) — Conferatur quoque locus apud, totius status Ecclesiastici Protomedicum generalem, (T. III, Consil. 79.) PAULUM ZACCHIAM specto, ubi respondendum erat Monacho cuidam, qui juvenis submersi in vitam revocationem, indubitanter miraculosam, bonique servi Dei cuiusquam, precibus adscribendam, acriter contendebat: « quomocumque tamen sit, — sunt verba ZACCHIAE, — certum esse debet non modo hoc miraculosum non esse, sed neque inter ea inventa commemorandum, quae multam admirationem audientibus excitare consueverunt, quippe cum pateat alios permultos, — cum in aquis vel, *alia ratione*, suffocati essent, — revixisse (1). — Dum « revictionem » hanc exponere conatur, ZACCHIAS, nosmetipsi FLEISCHMANN experimentis valedicemus, cui in perpetuum laus tribuenda foret, investigatoris sagacis, qui primus forenso-medicorum mentem, ad varium vestigii, a laqueo effecti, locum circumspicendum adduxerit. — Tantus vir ne metuat, « *Vicum vendentem thus et odores, Et piper — et quidquid chartis amicitur ineptis!* — ut ille timet, qui experimenta, modo memorata, retulerit.

In casu obscuro non adeo insolito, ubi quis suspensus, quam paulo ante, vivum, oculis adspeximus, cadaver deprehendatur, e laquei nota lucis aliquid, in posterum petere possemus; vestigium enim inspectum

(1) Postea, ubi sermo est « de miraculis quae in utraque Historia Sacra recensentur, nempe nova et veteri, » circumspiciatur, ZACCHIAS factus est, locutione minus clara et perspicua usus. Iam morbi semina magni huiusce viri tempora corrumpere, vitiare, coepere, quae nos iuniores sensim sensimque Pyrrhonianos, i. e. Scepticos (ita dictos « quod de omnibus dubitabant », ut ait SEXT. EMPERICUS.) pro virili parte, reddere minetur.



saepe docebit, cur, quod multorum suspensorum historia, crebris exemplis firmare posset, vita minima, licet ab suspensionis tempore, spatium satis longum sit elapsum, saepe tamen, funesto fune resecto, revixerit, — quod iam diximus, — sed docebit quoque, multos suspensos restringendos esse, ab iis, quos Apoplexia nervosa correptos, periisse dicunt; — laqueus enim et laryngem occludens, et vagum nervum cordisque plexum, simul premens, mortem statim excitet, necesse est.

Ad finem opus perduxit. Arenae metam tangens, quaestionem nodosam, in quam semel ingratum studium impendisse, doleo, iterum circumspectare iuvat. Alia CONCLUSIO mentem non subit, nisi finem hucusque, opaca veluti nebula, obtegi. In casu dubio, criterium nullum superest, quod stabilis, nomine gaudeat. Signis, in vivorum suspensorum cadaveribus salutandis, plura, («à volonté», — ut dicunt,) adiciere possem. DE HAEN veruntamen monitorem digitum iam adtollit, ne quod in singulis occurrat, in universis desiderarem; — «Alii ablato ut fit, laqueo, de mortis natura iudicantes; illaesam alii, alii confractam asperam arteriam invenientes; alii ex insolentiore suae regionis carnificina, de omnibus iudicantes, variamque admodum plagam colli, quam strinxerat laqueus, alii contemplati, rem denique definierunt sic, ut qui aliter, ipsis perperam scripsisse viderentur, perinde ac si quod in unico, vel quod in paucis saltem, hi invenissent, idem in omnibus fieri oporteret. Imprudenter profecto hi". (o. l. p. 192.) — Si omnium investigatorum oculi, semper in praeclare haecce dicta coniecti fuissent, non dubito quin plurimorum signorum longa enumeratio, adhuc quaerenda foret: notarum enim plurimae, in capite tantum aut cogitantium aut scribentium creatae, multae «a priori» positae, tunc demum «par force» observatae, raras autem a natura, solerti cura explorata, indagata, desumptae sunt. Hinc et hodie valet, aureum illud Ciceronianum, saepius iam agitatum: «Opinionum commenta delet dies; naturae iudicia confirmat.»

Vidimus eandem viam, quae chemicum, v. c. ad certum finem adducit, cui documenta, sumti veneni, culpam testantia, iudici tradat sufficiat, forensi-medico hucusque, non ita praedefinitam esse. Instabilia enim omnia criteria nostra. Ubi de laqueo cogitari nequeat, ibi tamen, «mutatis mutandis», eadem signa salutata fuisse, legimus. Hinc ORFILA novas et certas notas adiciere iam studuit, commemorat v. c. Ecchymosin, «soit dans le tissu cellulaire sous-cutané du cou, soit dans les muscles sous-jacents, soit dans le voisinage du larynx,» — quibus mox addit — «elles sont une preuve certaine, que la strangulation ou la suspension ont eu lieu pendant la vie.» Sed, — praeclarum experimentum, a CHRISTISON sumtum, ORFILAE innotuit, quo fit ut sequentia, quam minime quadrare videantur, cum dictis, modo relatis: «il ne suffit pas pour affirmer, que la strangulation ou la suspension ont eu lieu pendant la vie, de découvrir des ecchymoses au col, parceque l'individu aura bien pu n'avoir été étranglé ou pendu, qu'après avoir été et meurtri et tué.» Reluctante quamvis ORFILA huiusce signi instabilitatem indicasse spero, quod ipse, caeterum, — ex allatis patet, — inscius iam fecisse videatur.

«Wie afbreekt,... bouwe ook op,» sunt verba a Cl. DONDERS usur-



pata in aureo illo opusculo (Voedingsbeg. 1852), quibus assentiri nequeo. Quotidie enim aedium disturbance, aliis manibus commissam videmus, quam constructionem: quidni et in re, speculativi potius argumenti? — addit porro: „wij staan hiertoe gereed.” Utinam et nos parati essemus!

Rudera a me ipso disiecta iterum perlustrans, totam quaestionem, „une question à refaire,” dicere coactus sum. Aliis ergo, novis experimentis ductis, nova criteria inveniendi munus linquens, eo certiora, quo a relatis sint diversiora,

» fungar vice cotis, acutum  
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.”

Iam indicavi nervi Vagi inspectionem; indicavi sanguinis intra ipsius vaginam, et in nervea substantia ipsa, suffusionem, (quod sic intelligi vellem: sanguis in suspensi cuiusdam vago, vel in vagina, vel in substantia, effusus, rarus occurrit, sed effusio, si observatur, vivum suspensum denotare videtur.) Sententiae sit fulcrum. In cadaveribus suspensis, numquam neque ipse vidi, neque ab aliis relatum inveni, sanguinis, de qua hic agitur suffusionem, quam indubitatum, bis, in vivis suspensis, ipse salutavi; ergo, de morte ex suspensione, moveri dubium non fas est, ubi vagus nervus, huiusmodi affectione laborans, deprehendatur. Dolendum est, signum illud, ni fallor, stabile, hinc instabile fieri, rarius quippe occurrens, quam quod in plurimis casibus aliquid inde eluceat; — quod et de alio signo valet, ex Venarum colli conditione desuntum, (quarum lumina, — quod iugulares externas adtinet, — bis coarctata inveni in vivis suspensis, numquam in cadaveribus), ut et de nota illa, ex muscularum conditione, biventrem musculum simulantium, deducta; quae omnia supra uberius exposui.

Respicere iuberem, varium quod teneant locum cum Intestina, tum prae aliis Colon; nota enim pono, quot mala ex intestinalis tubi vitiis, exoriri solent; notum pono, quantopere animi aut mentis conditio, huiusmodi morbis affici potest. Dyspepsia, Hypochondria caet. inde ortae, quoties ad suicidium impellunt! MORGAGNUS iam „teretes lumbricos” commemorat, FALRET (de l'Hypoch. et du Suicide), PRUYS v. D. HOEVEN (Anthrop. onderz.), BILDERDIJK (Ziekten der Gel.), ROMBERG (o. l.) prae omnibus autem VIRCHOW, quid Dyspepsia caet. in totum animum efficere queant, nobis depinxere. (VIRCHOW primus mentes adtendit, ad Peritonitides chronicas, partiales, mesenteriales; ostendit Colon hinc, prae aliis laborare, praesertim circa regionem flexurae sigmoideae; caeterum conferatur celeberrimum illud scriptum, quam maxime dignum quod legatur, cui nomen: Hist. krit. u. Positives z. Lehre d. Unterleibsaff. von R. V. Archiv. Bd. V. Hft. 3, et Scriptorum, ibi laudatorum, prae reliquis omnibus: FALRET, ESQUIROL, CULLEN, qui rem luculenter exposuere, dictumque meum, valdopere firmare possent.) Sic in suspenso, qui violentam manum fati suis iniecerat, flexuram sigmoideam in parte sinistra, veluti duplicatam, nuper vidi: a Recti intestini initio, stricturâ, ut ita dicam, ultima erat separata; nonne hocce vitium, ad Autochiriam impellens, ut quotidiana experientia docet, in cerebrum reagere potuisset. In casu dubio, huiusmodi signa, maiorem lucem praebere crederem, quam instabilia symptomata, e faciei colore, e laquei vestigio,



caet. desumpta. Disciplina medica-forensis, illuc ni fallor, brachia vere polypacea, nondum extendit. „Iam satis est,” ne speculationibus materialisticis nimis inhaesisse videar, verbum non amplius addam.

Si umquam sententia mea, legem praescriberet, vel iura daret, totam quaestionem, sagacis iudicis solertiae, commissam vellem; hucusque enim res accedentes tantum, indicare possunt, utrum vivus quis, an mortuus, suspensus fuerit? Ad iudicium multo infallacius sic nos induci, quis dubitaret? Huiusce rei arbitrium, multo rectius sic fieri, mihi adeo persuasissimum habeo, ut haud sine voluptate, somniferum caeteroquin scriptum taediosissimum, a Doct. CHR. PFEUFFERO quondam editum, legerim et iterum perlegerim, (HENKE, Zeitschr. Bd. 54, p. 100) ubi, luce clarius, ex solis rebus accedentibus (nevenomstandigheden) ostenditur, mortem ab aliena inimica manu, fuisse arcessitam.

At perscrutanti futuro, ex adpectu anatomico-mechanico, nova criteria, ad singulum casum adaptata, evolvere si contingat, ut in re tanti momenti, velamen quodammodo sublevet, quod fortassis specificorum signorum (1) copiam, hucusque incognitorum, opaca veluti nebula praetegat, ventura progenies, merita praemia solvens, monumentum illi exstruat, „aere perennius.” De tanto viro, ZRINY, (apud TH. KÖRNER) cecinit:

Der baut sich selbst ein ewig Monument,  
Im trenen Herzen seiner Landesbrüder,  
Und dies Gebäude stürzt kein Sturmwind nieder.

De libro suo, novus HORATIUS praesagiret:

Hic meret aere liber Sosis, hic et mare transit,  
Et longum, noto scriptori, prorogat aevum! (AD PIS.)

De viro ipso autem, novus DONDERS, „Contigeritne illi, ut singulam tantum veritatem, per medicinae-forensis agros, triumphantem circumvehat, nostram planetam linquat, dulci cum praescientia, se non frustra vixisse”. — *Vale Lector!*

(1) Veniet tempus quod ista quae nunc latent, in lucem dies extrahat et longioris aevi diligentia; veniet tempus, quo posteri nostri, tam aperta nos necesse mirentur! — SENECA.

TANTUM.



CASUM IN OPUSCULO MEMORATORUM, A ME OBSERVATORUM, BREVIS CONSPECTUS.

Nun soll ich gar von Haus zu Haus,  
Die losen Blätter alle sammeln!  
GOETHE, Lieder.

C A S U S I.

Primus suspensus, M. H....., quinquaginta sex, annos natus, A. D. 1854, mensis Julii, die undecimo, hora matutina decima, suspensus deprehensus fuerat; vir ponderosus, robustus, staturae vere Herculeae, membrisque quam maxime valens, quondam miles, (postea in VENERIS BACCHI-que castra transiit, sed sine magna gloria militavit), mox auriga, nunc demum iniustissimus fenerator, propter usurae, iniquissimum quod quaesierat lucrum, in iudicium vocatus, pridie eius diei quem illi dixerant, variis iam modis, cultro, fata arcessere tentarat; animus audax, ferox, alieni appetens.

Ipsa suspensionis vero die, hora quinta, matutina, secretum locum clam petivit et circa horam decimam, pendulus deprehensus est, pede dextro adhuc, sedi inniso. A familiaribus laqueo funestus statim "puris ignibus conditus" erat. In Nosocomium delatum cadaver, duodecima a morte hora, circumspiciendi data fuit obportunitas.

Facies visa est tumida, nequaquam livida, aures rubro caeruleae; colli, supra funis vestigii sedem, isdem color. Laquei nota, tres centimetros lata, totum collum circumdat, aliquot centimetris, in sinistro latere, liberis relictis, ubi nota, altius quam in dextro latere, adscendit; ibi enim in muscoli Cucularis tendine, impressio tamquam nodi cuiusdam videre est; cutis caeterum, praesertim partis anticae colli, ad aures usque tendens, (sub laqueo nempe), pergamenaceam refert naturam coloremque. Vis ab inimica quadam aliena manu, illatae, vestigium nullum, in toto corpore. Oculi semi-aperti, non tumentes; palpebrae neque lividae, neque tumidae, oculos monstrant, absque ullo sanguine suffoso, neque in conjunctiva bulbi, neque in bulbo ipso; nec labia nigricant, nec lingua, quae, parum tumida, trium fere centimetrorum spatium, prae dentibus prominet; pars prominens autem, satis hyperaemica; sine notis verumtamen, dentium impressorum. (Animadvertendum tamen, dentes inferiores omnes, veluti ruptos inventos fuisse.) Manus



neque fortiter contractae, neque lividiores quam in cadaveribus occurrere soleant; pedes in eadem conditione versantes; maculae cadavericae, in dorso tantum offenduntur; narium orisque cavitatis mucosa, nequaquam praerubra, spumae sanguinolentae nullum vestigium. Penis corporaque cavernosa, satis tumida, absque erectione; nec seminis, nec urinae, nec faecis, emissio ostenditur a vestibus.

Tertio tantum post mortem die, — aestus fuerat fervidissimus, — cadaver aperiendi data est obportunitas; omne enim cadaver, in Nosocomium nostrum delatum, ibi per triduum sit depositum, lex sive institutio quaedam "civile," mihi "fort incivile" iubet; numquam, absque Professoris iussu, huiusmodi cadaver cultro traditur; si iubet tunc demum (i. e. tertio die elapso), clam sectionem institui, fas est; grates hinc accipiat celeberrimus TILANUS. Tertio igitur die, hora pomeridiana secunda, remota galea aponeurotica cranioque aperto, sanguinis copia satis larga, ex vulneris marginibus, (non minus ex galea quam ex ossium diploë,) continuo destillabat. Durae matris vasa, eodem modo sanguine scatebant, — quid magis, — obiter sanguis effusus deprehendebatur (ex tenerrimis vasculis, serrula laceratis, fortassis oriundus). Arachnoidea, cum universa albicans, tum praesertim circa pontem Varolianum, lacteum referebat colorem; glandula pinealis rubra erat, prae sanguine iniecto; cerebri habitus externus, contusionem simulat; ipsa cerebri substantia, cultro divisa, ubique punctata, (piquetée,) glandula pituitaria sanguineo colore tincta. Plexus Choroidei, prae sanguine congesto turgidi; ventriculi cerebrales, rubri seri copiam, non ita negligendam, continentes; ex medullae oblongatae canali ut et ex vertebrali, liquor sanguinolentus guttatim effluebat. (Medullarem canalem prorsus aperire non occasio, non tempus sivit; quod valdopere dolendum: sed cadaveris humi condendi, hora iam aderat). Colli integumentis externis remotis, laquei impressio tamen adhuc cerni potest. Vena Iugularis ext. sin. supra funesti funis sedem, magnopere distenta; ex iugularis int. inspectione, notatu dignum nihil prodiit, cadaverica quippe dissolutione, nimis progressa; sympathicus nervus habitum normalem referebat. Nervus vagus uterque, ipso loco a laqueo presso, praerubri coloris; qui color, ablata quamvis vagina, tamen integer remanserat. In cadavere ita dissoluto, nervorum microscopium examen, parum prodesse tunc, "ego laevus", existimavi, quod postea — ut iam dixi — satis me poenituit. Ex casu tertio verumtamen patet, hic quoque, absque ullo dubio, sanguinem in ipsa nervea substantia, effusum fuisse, ibi enim, ubi color ruber, multo letior erat, sanguinem adeo copiosum effusum inveni. Vertebrarum colli, neque fracturae, neque luxationis, vestigium ullum aderat.

Sterno-et cleido-mastoidei, biventrem musculum simulabant; adeo muscularis substantia, exsanguis et compressa visa est; glandularum iugularium una, duos centimetros longa, ad basin, laquei pressione, rubra facta erat. (Conf. BAUR, Ueb. d. Ersch. am Leichname Erh. caet. u. haupts. ueb. d. verand. d. Lymphdrüsen. Tüb. 1841. 8.) Cartilaginibus Thyreoideae sin. margini posteriori, valida insidebat sugillatio.

Cor sinistrum totum, sanguine plenum, fluido, nigro, absque coagulis. Parietes sanguine non infiltrati erant, quod et de dextro corde valet, nisi quod sanguinis minorem copiam contineret. Arteria Carotidea



dextra, ipso striae loco, rubra, quod ab Atheromate ibi incipiente, pendere videbatur; cor, caeterum, normalem referebat structuram. Vasorum systema denique, sanguine parce coagulato, repletum offendebar; corde sinistro excepto; venae verumtamen distensione, prae arteriis praevalabant. Pulmones, liberi in amplo thoracis cavo, pulcherrimi, integri, hyperaemici, non admodum extenti, livide-nigrantes colore, praesertim ad lobos inferiores, ubi sanguine nigro scatebant, quovis loco, cultro dissecti, crepitabant; sanguinem in bronchis effusum, nullum ostendebant; bronchorum mucosa, paulo tantum, iusto rubriora erat. Diaphragma versus thoracem adscendens, cum sono sibilante, parva punctione instituta, aerem thoracicae cavitati admisit. Lien parvus erat, mollis, profunde ruber. Renes prae sanguine nimis congesto, rubri. Hepar magnum, nigro sanguine plenum. Tenuia intestina passim sanguine iniecta, crassa vero scibalis referta; colon transversum a sede remotum; accusanda videbatur Peritonitis partialis, circum flexuram Sigmoideam, quondam perpressa (Conf. VIRCHOW, o. l. l. l.). Et omentum et mesenterium, sine sanguinis iniectioe, sine glandulis, sanguine distentis. Vesica urinae largam copiam continebat; in mortis agone aderat itaque, quod emitti potuisset.

Adnotandum prorsus nihil habeo, praeter id unum; hic adfuisse casum ubi quis vivus suspensus, et Apoplexia et Asphyxia, sed magis in Apoplexiam tendens, (colli forma circularis, iugulares nimis laqueo prementi exposuerat, i. e. sanguinis adducti refluxum nimis impedierat,) vitae metam tetigisse visus est; laqueus enim, locum non bene definiendum tenuerat, (conf. quae de FLEISCHMANN supra in medium protuli), et vidimus tunc praesertim, mortis mixtae generi, ansam esse datam; obductio omnino cum supra dictis, sic quadrare visa est.

## C A S U S II.

Sicarius quidam, tunc temporibus famosissimus, J. H. K....R, qui triplicem caedem atrocissimam perpetrarat, in solenne iudicium adductus, tandem publico supplicio traditus, A. D. 1854, mensis Novembris, die vigesimo secundo, publice a carnificis manu Amstelodami suspensus est. Sexta a morte hora, obiectis obstaculis, tandem quodammodo sepositis, cadaveris sectionem instituere contigit, Professore VAN GEUNS, mihi semper bene-volentissimo, operis Moderatore, doctissimi viri VAN DISSEL, amica manu adjuvante, quibus nunc iam gratias quam maximas, quam sincerrimas, persolvere iuvat: alio enim loco, fusius de cadaveris obductione agere, mihi propono.

Suspensi viginti et duos annos nati, viri robusti, validi, viribus insignis, cadaver, postquam e patibulo delatum fuerat, secunda circiter post suspensionem hora, circumspiciendi, data est oportunitas. Miserimi viri facies, quae durante suspensione, colorem ostendit profunde coeruleum, nunc placidi somni, quietique veluti soporis imaginem simulabat; (non semper itaque verum poetae illud "vultus sceleris, certissimus index") livoris nullum vestigium; (per decem scrupulorum (minuat) spatium iam in angusto feretro compositus fuerat,) labiis tantum paululum lividioribus, quam plerumque offendi soleant, oculus



sinister, semi-opertus erat, dexter palpebris plane tectus; iris coeruleum colorem referens, satis arcte contracta, pupilla itaque distenta; sclerotica micans-alba, absque ulla vasorum iniectione, excepta sinistri oculi parte sinistra, ubi parva macula videre erat, nigricans, marmoris instar variegata; alae nasi neque distentae, neque collapsae; mucosa interna pallida, (aures cum interne tum externe), pallentes; os semi apertum, dentes ostentat, niveos, integerrimos, sibi adpositos, quibus pallida lingua ita adiacet, ut angulares levem impressionem, in ipsam faciant; caeterum neque narium, neque oris cavitas, spumae vel sanguinis ullum vestigium ostendit. Totius trunci color, pallidus est, vestis infima, (= hemd) nonnullas sed parcas, effusi seminis, maculas investigatori oculo praebet, quarum una adhuc madet. Penis profunde caeruleus, non vero tensus est. Ex urethra liquoris guttulam eprompsi, quae, inter duas laminas vitreas servata, mecumque domum deducta, postea seminalia fila ostendit, semi-iam dissoluta; non faeces, non urinam emissam ullam, observavi. Caput caeterum, nihil abnorme praese ferens, omnino mobile erat, in collo crasso, circulari et satis brevi, formâ; vertebrae luxatas vel fractas suspicari, non fas erat. Digniti pugnum non faciunt, pedes in angulo obtuso, a cruribus deflexi, digitos extentos ostendunt, sed nullibi, in ullo musculo, contractionis sive extensionis spasticae, vestigium aliquod.

Octava post mortem hora, sectionem institui. Musculos duos, tunc rigore cadaverico multo gravius affectos fuisse, dicam vix necesse existimo: oculi nequaquam tumidi, in eadem conditione versabantur; coniunctiva oculi tamen, nunc, vascula sanguine iniecta, melius ostendit. Penis multo minus turgidus est; glandis particula, praeputium non tecta, violaceum refert colorem, ut et mucosa, urethrae initium obsidens: anus bene clausus est: laquei nota eundem ad aspectum praebet, ac secunda post mortem hora; colore tantum paulisper profundiori. Laqueum ex duplici fune compositum fuisse, impressio inspecta docet. Funis notae, quindecim circiter centimetros latae, ex uno puncto (cartilagine Thyroideae margine inferiori, puta, spatioque inter ipsam, circinalemque cartilagine, divergentes,) decurrunt retrorsum simul et sursum; ita ut nota superior, protuberantiam occipitalem externam versum tendat, inferiore vero (ab auribus inde mensa,) triginta et septem millimetros inferius sita; utraque nota sensim in integram cutim excurrit, dextrorsum vero a capillis praetecta, sinistrorsum autem, aliquot millimetros, ante crines abortos. Quindecim circiter millimetros, supra laquei vestigium, a pronato capite, plica cutanea facta est, transverse decurrens; inter utramque vero notam, parva huiusmodi plica, duos circiter centimetros alta prominet, ab exiguis sanguinis punctis, lete-rubro-punctata. Striae, plicam limitantes, funis circumvolutionum notam, in ipsa depingere visae sunt. Stria superior, albicans est coloris, a cute sic limitata, ut geographicae chartae speciem, referret. Inferior vero, praesertim in latere sinistro, colorem ostendit albo-pergamenaceum: de huiusce striae nota praesertim notanda est, cutis, cartilagine Thyroideae dextrum latus tegens, satis valida retropressio, (37 centim. longa, 11 mm. lata.) quae cutim simulat, combustionem affectam. Recisa colli cutis, lumine postposito perspecta, livore valdopere differre visa est, e tela coniunctiva



subcutanea, albuminosa-albicantem (non sapit TULLIUM), colorem referentem. Iugularis vena externa dextra, sanguine fluido scatet: ipsius vero lumen, sub ipso a laqueo compresso loco, coarctatum est: latus sinistrum nihil huiusmodi praebet, excepta sanguinis in venis, abnormi congestione; sub laeui impressione, validi muscoli sterno-hvoidei sicci, raspacei tactu, a caetera textura glaberrima, valdopere discrepant. In musculo omo-hvoideo dextro, veluti vallis occurrit, aspera quoque tactu: sterno- et cleidomastoidei muscoli, tractanti digito idem praebent. Arteriae carotidae et iugulares venae internae, illaesae, caeterum prae sanguine admodum turgidae; uterque nervus Vagus, hyperaemia nequaquam laborat.

Musculi thoracici, quam fortissimi, lete rubri sunt coloris. — Cordis (a pulmone praetecti,) auricula dextra et atrium, sanguine nigro parce repleta, ventriculus dexter contractus, ergo, a sanguine fere vacuus deprehenditur: cordis sinistri auricula, atrium et ventriculus, parvam nigri sanguinis copiam, inclusam tenent. Coronariae venae vero tumidae: cor ceteroquin normalem refert structuram. Pericardium sanum, sub-rubentis seri, parvam copiam continet.

Cartilagine Thyreoideae, nondum ossificatae, in planum veluti extensae offenduntur: in cartilagine Thyreoidea dextra, sanguinis in ipsa cartilaginea substantia suffusi, parva copia videre est, usque ad internum cartilaginis parietem vero, non pergit: quo profundius in internam tracheam descendatur, eo rubriore colore, mucosa tingitur: de Bronchis postea. Glandula Thyreoidea praegrandis, vasa ostendit sanguine tumentia: omnium vero notatu dignissimum est, Laryngem, quam difficillime, ad normalem formam reduci posse, dum explanationem quam facillime sinit: adeo laqueus cartilagineum synchondrosin laeserat. Pulmones in amplo thoracis cavo expansi, ligamentis Vesalii vel spuris, omnino carent: lobi vero dextri pulmonis, adhaesionibus veluti spongiosis, sibi invicem coniuncti sunt. Loborum pars inferior, posterior, rubro-caeruleum refert colorem; cultro divisi crepitant pulmones, et sanguinem crebrum emittunt; solus lobus medius, lete rubro est colore, quae omnia et de sinistro pulmone valent, cuius lobi tamen, adhaesionibus memoratis carent. Bronchi, quod mucosam adinet, valdopere hyperaemici sunt: ipsorum cavitas, pro virili parte, sanguine libero, non spumescente scatet. Pulmonum vasa sanguifera, eodem modo sanguine referta sunt; parietes vero interni, sanguineum, bronchorum, non referunt colorem.

Totum systema vasorum (de corde iam locutus sum,) sola abdominali Aorta excepta, (quae vacua deprehendebatur, sanguine fluidissimo, profunde-violacei coloris, scatet; nusquam vero vestigium ullum sanguinis extravasati, (qui ubicunque eiusdem naturae, omnia vasa, cum venas, tum arterias aeque distendit). Vasorum autem parietes nequaquam sanguine imbuti occurrunt.

Lien normalis, cum magnitudine, tum capsula, quam maxime hyperaemicus offenditur. RENES non extenti caeruleum ostendunt colorem: cultro vero divisi, caeruleo-nigricantem, cum pyramidum, tum substantiae corticalis. Pelvis renalis mucosa, sanguine iniecta, caeterum normalis. De oris cavitate, de lingua, caet, iam locutus sum: ossis hvoidis cornu magnum dextrum, inter exsecandam laryngem,



magna vi, quamvis adhibita nequaquam, in explorandum quod teneret locum, os illud hvoides, — sponte veluti, frangitur. (Fusius de hacce fractura, alio loco). Pharynx et ventriculus, colorem ostendunt lete-rubrum. Pancreatis vasa, sanguine scatent: duodeni vasa admodum iniecta occurrunt, ieiunum normalem refert colorem. Ileum intestinum, variis locis profunde brunneum, succoladae infusae colorem simulans, quae loca, aperta, purpureo-rubra erant. Contenta prae sanguine commixto, sanguinolenta. In Crassis, nihil notatu dignum observare potuimus. Mesenterii vasa, valdopere turgida.

Hepar usque ad concavi diaphragmatis marginem tendens, profunde violacei est coloris; cultri ope diviso, sanguis nigerrimus ex quavis fissura, ex fonte veluti prosilit, fossamque statim cruore, ex fundo prodeunte, implet.

Persecta capitis tegumenta, praesertim in parte superiore, sub capillis, hyperaemiam ostendunt: neque ossium cranii diploe tamen, neque sinus venosi, sanguine, praeter modum, referti sunt: venae vero, ad cranii basin sitae, sanguine valdopere turgent; dura meninx pallida, Arachnoidea albicans, Cerebrum ipsum durum, album, punctatum (piqueté), plexus chorioidei iniecti. Cerebellum eandem refert naturam: arbor vitae praesertim punctata est; glandulae pinealis et pituitaria, subrubrae; caeterum neque in cerebro, neque in cerebello, sanguinis extravasati, vestigium ullum.

Canalis medullaris ubique liber; neque luxatio ulla, neque vertebrarum fractura, neque Atlantis ab Epistropheo, dislocatio ulla. Seri sanguinolenti, aliquid guttularum destillat. Vertebris antrorsum dissectis, (quamnam methodum commendare possum), medulla deprehenditur, a tumidis vertebralibus venis, obsessa; sanguinis parva copia, extra medullae vaginam, (intra vaginam, sanguinem nullum), effusa, loco quartae colli vertebrae, unicus sanguis coagulatus erat, quem, sedula quamvis inquisitione, in toto corpore offendere contigit. Notandum est, medullae cerebricae aperturam, hora circiter a morte vigesima quarta, institutam esse; quo tempore etiam, maculae cadavericae, crurum partem posteriorem, dorsum infimum, caet: obsidentes, videre erant, quae ipso suspensionis die, plane desiderarentur.

Nihil addendum habeo: suffocatione correptus periisse videtur, miserimus iste sicarius. Num laquei locus optimum fuerit, ad mortem quam citissime arcessendam, an utrum hic, incio quamvis carnifice, Calligulanum istud, «ita fieri ut se mori sentiat,» (Suet. Lib. IV, 30.) quodammodo valuerit, alio loco fusius exponere conabor, ubi simul ostendetur, quid accidere forsitan potuisset, si laryngis explanatio (s. v.) supra memorata, non obtinuisset.

De fune, iusto multo crassiore, de duplici ipsius circa collum circumiectu, caet. uberius hic agam, non fas esse existimo.

De cuniculis et muribus a me suspensis, sermo non serendus videtur; quae notatu digna observavi, obiter iam satis indicavi. Id unum retulisse sufficiat, me ibi semper, simplicem post suspensionem, cerebri substantiam non hyperaemicam, sanguine numquam effuso, invenisse, numquam vertebrae luxatas, numquam fractas; sanguinem in venis parce congestum, semper fere coagulatum, deprehendisse; in oculorum bulbis, praeter levem intumescitiam, numquam apoplexiae vestigium ullum, observasse.



## C A S U S. III.

Dum opus meum iam typis paratum erat, alium suspensum inspicendi data fuit obportunitas: quae de suspensorum morte exposueram confirmata inveniebam.

Paterfamilias, quinquagesimum septimum annum agens, strenuissimus potator, mense Martio sese suspendit (A. D. 1855). Postridie quo in Nosocomium delatus fuerat, circumspexi. Cadaver, quamvis non robustum, musculos tamen satis validos ostendebat; maculae cadavericae licet non crebrae, tamen in regione dorsali et lumbali, passim offendebantur: crura caeterum ostendebant rubedinem, maiorem quam in cadaveribus plerumque salutaris solet: manus pugnum non faciebant, unguli sublividi erant. Penis non tensus, subruber, neque seminis, neque faecis, neque urinae emissionis, vestigium ullum; et vesica, et intestina crassa tamen, postea urina et faecibus plena inveniebantur.

Oculi semi aperti, non tumidi, absque ullo sanguine extravasato, neque in palpebris neque in bulbo; lingua profunde violacea, unum centimetrum supra dentes prominebat, qui ipsam veluti mordere visi sunt; aurium, narium orisque cavitas, pallescit: spuma in ore nulla; linguae, reliqua pars, pallida.

Laquei tenuissimi, nota, cartilaginem inter Thyreoideam et os Hyoides orsa, sub processus mastoideos decurrens, occipitalemque regionem versus, tendens, totum collum circumdabat, spatio tamen aliquot centimetrorum, — ut fieri solet, — libero relicto: (quod ut observare possem, quum cadaver supra pectus incubissem, — cutis quippe pars illaesa, in occipite erat sita, — liquoris ex ore copia effluxit, spiritus vini, cum iuniperis baccis commixti, (= Genever,) spargentis odorem. (Aliquot diebus post, cadaver in Anatomicum theatrum delatum, doctissimo Professore VROLIK, ansam praebat, ad demonstrationem Anatomicam, publice in hoc cadavere instituendam.

Aperto cranio, cerebri omnia vasa valdopere turgida offendebantur; — cerebro ipso et cerebello, quam maxime hyperaemicis; verae apoplexiae vero, nusquam aliquid vestigii. (Cavendum tamen, ne sanguinem omnem congestum, laquei pressioni tribuas; lactea enim Arachnoidea, praegrandaque Pacchioni corpora, strenuum potatorem denotabant. "Crede vel in minima parte latere deum" — BACCHUM —).

Pulmones collapsi, integri, (quod in suspensis non rarum esse, quotidiana experientia docet,) hyperaemici, marmoris instar variegati, passim nigricantes; bronchorum mucosa interna, subrubra, absque sanguine in ipsorum lumine, libero. Pericardium, larga adipis copia, obsessum. (Potatoris cuiusvis, subeat recordatio.) Aortae arteriae et Pulmonalis, tunica externa, valdopere sanguine iniecta (=vasa vasorum repleta), utraque arteria, sanguine subrubro parce referta, tunica interna tamen non rubra. Quod et de magnis venis valet, nisi quod magis distentae sint.

Cor structuram normalem referens, sanguinis parvam copiam continebat; cor dextrum totum, sanguine satis turgidum, sinistrum vero contractum occurrebat. Demonstratione habita, eadem qua huc usque



erga me, semper usus fuerat, patrios illi amicos manes, in filio semper colens, clarus W. VROLIK, cadaver penitiori indagationi, postea mihi commisit.

Remota colli cute, (ubi sugillationes vel ecchymoses, omnino desiderabantur), quae pergamenaceae obiterque combustae, naturam referebat, muscoli adparebant sternohyoidei, sterno- et kleido mastoidei, paulisper compressi, biventre musculos (de quibus supra), non tamen simulabant. In parte sinistra, venae iugularis externae lumen, sub laquei nota angustissimum erat, quamvis sanguini adhuc pervium, (vid. quae supra de hocce signo in medium protuli.) Eodem in latere, nervus vagus quoque, hyperaemicus offendebatur. Examine Microscopico instituto, vasa intra ipsius nervi substantiam decurrentia, *procul omni dubio*, sanguine turgentia, observare erant, — quid magis? — vidi sanguinem effusum; vidi hinc retropressa, singula fila nervea (ita ut nervus officio non amplius fungi potuisset), vidi, — sed supra uberius de nervo hocce, agigatus est sermo; — dictum testetur clarissimus Prof. VAN GEUNS, microscopicae cuiusvis indagationis, quam peritissimus, quam sagacissimus.

In dextri lateris, cum iugulari vena, tum nervo vago, nihil notatu dignum adparebat.

Colli vertebrae, neque luxatae erant, neque fractae; absque omni laesione; non ita os hvoides, in hocce cadavere praegrande; utrumque enim cornu maius, omnino fractum erat. (Prof. VROLIK collum adhuc servat, mihi que ostendit, viri cuiusdam, Amstelodami quondam, publico supplicio, secundum methodum Anglicam, (*wristed motion*) suspensi. Luxationem Atlantis ab Epistropheo, sic quodammodo effectam fuisse, omnino negare non possem; sed simul ex hacce inspectione prodiit, luxationem non ita fuisse, ut execrandum huncce, suspensionis modum, quodammodo excusare potuisset; quod Proavi, tandem persuasi, recte quondam intellexere et huiuscemodi suspensionem, abolere. — Doctum VROLIK, consonum habeo.)

Breviter perlustremus, quae de reliquis organis, in scrinio inscripserim, Demonstratione durante, notatu digna, a me habita; — haec enim, „in nonum annum premere, membranis intus positis”, ut HORATIUS, Pisonum maiori commendat, me non iuvat. Hepar, quod vere mirandum, hyperaemiam non ostendit; (venarum Portarum systemate, sanguini quamvis pervio); Renibus vero, quam maxime hyperaemicis; Lien normalem refert naturam, sed colorem iusto paululum profundiorum. Pancreas ut et Ileum et Duodenum intestinum, prae rubra omnia. (Ventriculus — iuris fusci, satis amplam copiam, continens, — qualis vulgo potatorum.) Intestini Coli, flexura sigmoidea, duplicata veluti; (lumen primae flexurae abnormis, angustatum), ipso loco, ubi colon in rectum transit, intestini, veluti strictura obtinuerat, quibus vitis, tubum, faecibus aegre pervium fuisse, sequatur necesse est. Quot animi mala hinc ortum deducere soleant, supra (in fin.) memoravi.

Omnia quae in cadavere inventa sunt suspensum denotant, post satis longam moram mortuum. Vide quam bene omnia, cum a FLEISCHMANN, dictis concordant, si mortem ponimus, mixtam quidem, sed magis versus Apoplexiam tendentem. (i. e. versus vasorum cerebralium nimiam distensionem.) Pulmones collapsi, ostendere, suspensum, exspi-



ratione durante, animam efflasse. Hinc lingua quoque prominuit. (Conf. quae de linguae motu, retulimus); colli forma circularis erat; hinc, quod contendere ausus sim, venae praesertim, a laqueo premente oclusae fuere, sanguinis per arterias affluxu, non impedito; — hinc nova causa hyperaemiae cerebri. Sed quid moror? — Si omnia iterum perlustrare vellem symptomata, vereor ut prolixè iam relata, retulisse videar.

Here pause we for the present!

DON JUAN, Canto VII. 87.

II

FINIS.

III

IV

V

VI

VII

VIII



---

## T H E S E S.

### I.

Quaestio universo sensu accepta, utrum is qui suspensus deprehendatur, vivus an mortuus suspensus fuerit, hucusque nondum solvi posse, videtur.

### II.

In suspensis raro Nervi Vagi occurrunt, sanguine suffusi; ubi vero occurrunt, — cadavere reliqua suspensorum signa referente, — vivum suspensum denotare videntur.

### III.

Si Iugularis Venae Int. lumen, sub laquei Vestigio, coarctatum deprehenditur, certum est, vivum quemdam, suspensum fuisse.

### IV.

Carnifex, cui sotes suspendendi commissum est munus, penitioris colli humani structurae, nequaquam sit ignarus oportet.

### V.

Laqueus duplex, isque iusto crassior, qualis in poena capitali, apud nostrates in usu est, quum citiori vitae, aut conscientiae extinctioni obstet, valdopere reprobandus.

### VI.

Quamquam Suspensio, cum deiectione ex loco alto, cum trunci rotatu et tortu, (*wisted motion*), colli vertebrarum sub-luxationem, nonnumquam efficit, non tamen ea est, quae horrendum hocce supplicium, quodammodo excusaret.

### VII.

Rectissime VIRCHOW, morbum BRIGHTII, triplicem Renum inflammationem adpellat, catarrhalem nempe, "*crouposam*," (sit venia verbo!), et praesertim parenchymatosam.

### VIII.

"A priori," sed perperam, quum examen microscopicum illud non confirmet, A. FÖRSTER, (*Lehrb. d. Path. Anat.*, p. 249. Ed. 2a) "*Emphysema vesiculare*, besteht in *Erweiterung* einer grossen Anzahl von Lungenbläschen."



—  
IX.

Quod multi, a Typho convalescentes, longe voraciores evadant, quam antea, id, ex Glandulis Pyerianis, (= Lymphaticis, Брücke, Denks. d. K. Ak. d. W. Rd. II) destructis, deducendum videtur.

X.

Qui lente convalescunt, a Typho abdominali, iis glandulae miseraicae, nondum sunt redintegratae.

XI.

Non est Duscraasia Carcinomatosa. Anaemia et Hydraemia concomitantes non causae sunt, sed effectus tantum habendae.

XII.

Extractum Nucis Vomicae Alcoh. optimum est Sulphatis Chinii, adversus febres intermittentes, adjuvans.

XIII.

Recte LOCHER, (Erkenn. d. Lungenk. p. 131.) „Wir glauben dass sich in der Mehrzahl der Fälle die, vielen Aerzten so sehr mundende Diagnose, von „Tod durch Marasmus senilis“ bei einer genauen Untersuchung, zu einer Pneumonie umgestalten würde.“

XIV.

Reiicienda opinio ab ELSÄSSER edita, (Magenerw. d. Säugl. 1846, Stutt. u. Tüb.) gastromalaciam infantum nihil esse, praeter symptoma cadavericum.

XV.

„Einzig und allein durch Würdigung des gesammten Symptomencomplexes, erhält das auskultatorische Ergebniss seinen Werth“. (LOCHER, o. l. p. 192.)

XVI.

Tuberculosis pulmonalis, dummodo cellularum aëriiferarum cavum, non omnino impletum sit, quamvis valdopere sit extensa, methodum physicam latet.

XVII.

Ex insignibus acusticis phaenomenis, in morbis pulmonum, non semper, ratione recta, concludere fas est, ad insignes organi telae mutationes.

XVIII.

Nimis audax HENLE. (Rat. Path. Bd. II, Abth. I, p. 768.) „Es wäre zu versuchen, ob nicht feste Körper aus der obern Hohlvene direct in die untere, und weiter in die Mündung einer Lebervene gelangen können, wodurch das zusammentreffen von Leberabscessen mit Kopfverletzungen, verständlich würde.“

XIX.

Apoplexia nervosa, Asthenica, Immaterialis, hucusque nihil Medico significet, praeter mortis causam nondum cognitam; ergo, = ignota x.



—  
XX.

Facio cum R. v. MOHL, (Die Polizeiw. nach d. Grunds. d. Rechtst. Tüb. 1844. T. I. § 568.) et cum J. H. SCHURMAYER, (Med. Polic. § 55.) Lupanaria vel Ganeas, in civitate recte constituta, nequaquam tolerandas, nedum tutandas esse. Publica enim prostitutio, malum necessarium habeatur, non fas est.

XXI.

Osteotomia ab inventore A. MAYER, angularis partialis scapulae dicta, in luxationibus sub-coracoideis congenitis, inveteratis; quindecies utpote, felici cum successu ab illo instituta, commendanda videtur. (Verh. d. Phys. Med. Gesells. z. Würzb. Bd. V, p. 236.)

XXII.

Unculi a MALGAIGNE, commendati ad fractam patellam, parum prodesse videntur, ut fragmenta sibi, in posterum, melius conjungantur.

XXIII.

Rectissime C. B. TILANUS. (Behand. v. Aneur. — Ned. Weekbl. v. Geneesk. n°. II, seq. 1855.) Het „suum cuique,” blijve dus ook voor de verschillende Methoden (Aneurysmatum curis, puta,) gelden. — Beider juiste waardering zal aanwinst voor de kunst zijn: wij moeten ons echter, ik herhaal het, voor de illusie wachten, dat een van beide, of beide gezamenlijk in staat zullen zijn, ons een absolute magt over deze gebreken te verzekeren. Vetlevers, verweekte milten, algemeen Atheroma van het slagaderstelsel, zijn geene objecten voor spontane of kunstige genezingsprocessen. Dit ergere ons niet: die van de kunst wil vorderen alles uit te roeijen, wat in erfelijken aanleg en algemeene dispositie is neêrgelegd, of weder goed te maken wat onmatigheid, onzedelijkheid, verzuim en verwaarloozing bedorven hebben, gaat te ver in zijn eischen en beklaagt zich zonder grond over teleurstelling.

XXIV.

Solus infans, dum nascitur, praegrassae graviditatis, stabile signum.

XXV.

Partus praematurus, artificialis, sectioni Caesareae praefendus.

XXVI.

Valdopere improbandus LEHMANN. (Oberwinteranus.) „Ich möchte ueberall da, wo gegen eine bestehende Strictur, (Uteri durante partu,) alle empfohlene Mittel vom Aderlass bis zum Aether und Chloroform, vergeblich angewandt worden sind, die Verpflichtung zum Kaiserschnitt ausgesprochen haben. (Busch — Monatschr. Bd. IV, p. 180. Berl. 1854.)

XXVII.

De hodierna Medicina, nimis, eheu! Valet L. F. BUNGENERI dictum illud: „quand l'absence d'un système en devient elle-même un, alors c'est le pire de tous.” (VOLTAIRE et son temps. T. I, 3.)



ERRATUM.

---

Pag. I, reg. 16 (Inf.) "erat," lege "fuerit."